

JURIS PUBLICI UNIVERSALIS
THEOREMATA

JOANNIS M.AE LAMPREDI

FLORENTINI

IN PISANA ACADEMIA ANTECESSORIS


JURIS PUBLICI UNIVERSALIS


SIVE

JURIS NATURAE ET GENTIUM THEOREMATA

Quae ab eo in eadem Academia exponuntur & declarantur.

PARS III. TOMUS III.





LIBURNI A. D. MDCCLXXVIII.

EXCUDEBAT VINCENTIUS FALURNUS
PRAESID. ADPROB.





JURIS PUBLICI UNIVERSALIS

PARS III.

Quae Jus Gentium complectitur.

PROOEMIUM

De Origine Iuris Gentium.

HActenus Hominem, Animal nempe hoc providum, ſagax, acutum, memor, plenum rationis & conſilii, in omnibus fere Vitae conditionibus conſtitutum contemplati ſumus, eiuſque Leges, iura, & obligationes, quas vel provida Natura, vel ipſe ſibi ſponte ſua liber volensque impoſuit enumeravimus, ea omnia ad aeternae Iuſtitiae normam componentes; & initio facto a ſimplici & primaevo Naturae ſtatu gradatim ad Civilem ſocietatem deducti ſumus, quod opus ceterorum omnium quae multiplex hoc animal praeſtare poterat, pulcherrimum

eſt & difficillimum, & ſi quando ad perfectionem redigatur, pene divinum, illud enim eximii ingenii aciem & quaſi Divinae Mentis particulam ei inſitam arguit.

Si una totius humani generis civilis ſocietas conſtituta eſſet nil fere expoſitis Naturae Legibus addendum; univerſae enim Ius Gentis facile a Publici Iuris principiis deduceretur.

At una tantum ſocietas, unumque inter homines omnes Civile Imperium forſan impoſſibile, quandoquidem terrae incolae moribus, ingenio, indole, viribus animi & corporis, propenſionibus, vitaeque neceſſitatibus differunt juxta climatum, ut ita dicam, diverſitatem, nec felicitas Civitatis obiectum iisdem conſtat ubique elementis, quae ab una legumlatione, unoque Imperio peti poſſint.

Sed quid factum ſit, non quid fieri poſſit inquiramus. Illud certum eſt jam inde ab antiquiſſimis temporibus in diſtinctas ſocietates politicas diviſum Genus humanum, quibus omnibus tamen conſilium idem ut felicitatem ſibi collatis viribus compararent

Percuſſo a Sociis civili foedere nullum cum ceteris hominibus eo foedere non incluſis, ſive ſingulares fuerint, ſive diverſo foedere ſociati, niſi naturale vinculum; nulla enim eſt erga alios praeter naturales obligatio niſi ex conſenſu, atque adeo iura & obligationes Gentium inter ſe una moderatur Lex Naturalis, niſi in novas obligationes ſponte conſenſerint.

Quapropter expoſitis Naturae Legibus in prima & ſecunda parte Iuris noſtri nil ultra addendum videretur, quippe Ius Naturae cum Iure Gentium quodammodo confunditur; attamen de eo ſingillatim dicere & utile & neceſſarium, nam quamvis alterius Iuris fundamentum in altero ſit conſtitutum, attamen ſingularis homo, ad quem praecipue Ius Naturae pertinet, ita a morali Perſona ſive Republica differt, ut quamvis Leges eaedem ſint, attamen eas novo diverſoque obiecto aptare interdum difficillimum; Reſpublica enim non ut homo ſingularis agit, vult, deliberat, non eodem pacto ei actiones imputantur, & ſtatim ac a reliquo humano genere per pactum ſociale quaſi divellitur novam quodammo-

do naturam induit, compositasque edit actiones, quae aliis Regulis indigent, ut iustae vel iniustae pronuncientur.

Regulae tamen ab Iure Naturae desumuntur, cuius Iuris recta applicatio actionibus Populorum *Ius Gentium* dicitur; atque adeo iura & obligationes Gentium tam erga se, quam erga alias ab uno ipso purissimo sanctissimoque Iuris Naturalis fonte derivandae sunt.

Inutilis igitur omnino & incongrua divisio in Ius Gentium *voluntarium*, & *necessarium*, quasi aliquid Gens Genti debeat ex tacito quodam consensu. Primus hanc opinionem invexit in Ius nostrum *Grotius* (1) ratus id esse omnibus Gentibus commune Ius, quod inter se moratiores politioresque constanter servaverunt; nec tamen animadvertit vir ceteroquin eruditione & doctrina conspicuus Gentes etiam optime moratas vel praeconceptis opinioni-

---

(1) *Vid. eius Prolegom.* §. 40. 41. 46. *Lib.* 1. *Cap.* 1. 9. 14. Samuel. Cocc. *ad h. l. & in Dissertat. Prooem.* 4.

bus, vel superstitione, cuius est vis maxima, captas id pro iusto interdum habuisse, quod postea evicta tenebricosae aetatis caligine, veluti iniustum & atrox detestatae sunt. Parcendum tamen viro summo, ei enim causam errandi Ius Romanum praebuit, cui & sua aetate & hac nostra maxima semper fuit auctoritas (1).

---

(1) *Iuris Gentium divisio in necessarium & voluntarium Romanis Iurisconsultis praecipue accepta est referenda. En eorum de ea re Sententiae: L. 1. §. 4. ff. De Iust. & Iur.* Ius Gentium est quo Gentes humanae utuntur, quod a naturali recedere facile intelligere licet, quod illud omnibus animalibus, hoc solis hominibus inter se commune sit. *L. 9 ff. eod.* quod vero naturalis ratio inter omnes constituit, id apud omnes peraeque custoditur, vocaturque Ius Gentium. *§. 2. Inst. Tit. De Iur. Nat. G. & C.* Ius autem Gentium omni humano generi commune est, nam usu exigente, & humanis necessitatibus Gentes humanae iura sibi constituerunt. *Ex duplici hac definitione sponte fluit memorata divisio, quam amplexus est* Grotius, *quem deinceps ut vulgus scriptorum so-*

Grotium tamen complurimi sequuti sunt, nec multum ab ea Sententia discessit *Wolfius*, quamvis Iuris sui voluntarii fundamentum

---

let, nullo adhibito examine ceteri sequuti sunt. Huc accedit quod ad eiusmodi errorem prolabi facile erat, cum nonnulla sint quae inter Gentes peraeque custodiuntur, & quae a certis principiis certa argumentatione deduci non posse prima fronte videntur, atque a libera voluntate, tacitoque saltem Gentium consensu ortum ducere, ut ecce: ne in bello licitentur Regum & Ducum capita, ne veneno arma inficiantur, ut liceat vastare & diripere res hostiles ultra modum debiti & poenae, ut Represaliae licitae sint, & cetera huiusmodi, quae ab Iure Naturali, vel recta ratione recedere asserunt, & tamen apud Gentes omnes peraeque observantur.

Haec tamen omnia facili negotio explicari possunt juxta Naturalis Iuris Regulas, ut identidem oblata occasione demonstrabimus, quin opus sit huc revocare Ius voluntarium Gentium, quasi inter pacatas Gentes convenerit de eiusmodi tolerandis violationibus, aut de summo Naturae Iure temperando, quod quidem nunquam factum esse liquido constat.

aliunde petierit quam ab exemplis & consentiente Gentium Judicio. Is enim Gentes omnes in quamdam Civilem societatem coivisse mente concepit, eamque *Civitatem maximam* nuncupavit. Eius Civitatis consilium Bonum totius humani generis commune, Regiminis formam democraticam, quod maiori Gentium parti placuit Leges esse dixit, ad easque servandas omnes obligari: inde Iuris voluntarii originem deducendam esse ait, per quod nonnulla, quae ab Iure Naturae recedere videntur ab omnibus Gentibus aeque servantur, nec violantur sine alterius iniuria: egregiam quidem fabulam Grotiano commento proximam, nec tamen ad iura & obligationes populorum demonstrandas necessariam: si quando enim a naturalibus Legibus recedere videntur Gentes, & eiusmodi recessionem ratam habere, id potius vel necessitatis Legibus, vel iuris externi exercitio, vel Gentium libertati tribuendum, non autem expresso aut tacito populorum consensui; atque adeo & Iuris Naturalis apparens violatio ob officiorum collisionem & violationis impunitas ab Iure ipso Naturali praecepta.

Principium igitur unicum, & firmissimum Iuris Gentium fundamentum in Iure Naturali positum, cui innituntur Populorum, summorumque Imperantium Leges, quae eo clarius, maiorique solicitudine explanandae, quo difficilior observatio & violatio nocentior, per quam non privatus homo, sed multae Gentes & bonis & capite periclitantur.





CAPUT I.

De Officiis Gentium erga se ipsas.



§. 1. *Principium generale.*

COnservatio & perfectio sui ipsius Gentibus naturali Lege praecepta: hoc primum omnibus officium impositum, ex quo cetera omnia quasi ex uberrimo fonte dimanant; si enim Civilis societas inter homines non tantum non contradicente, sed iubente Natura introducta ut quam quisque non poterat plures collatis viribus felicitatem compararent, Societatem ipsam & conservandam & perficiendam Naturam iussisse dicendum est, alterum enim praeceptum in altero includitur.

§. 2. *In quo conservatio & perfectio Gentis consistat.*

Gentis conservatio in eo potissimum sita est ut in prima Civili consociatione

& fundamentalium Legum conſtitutione firma & integra permaneat: Si bello vaſtata, aut civilibus agitata diſcordiis vel ſponte vel invita etiam alienum ſubit Imperium, extinguitur, nomenque & Maieſtatem Gentis amittit. Sic Gentes a Romanis deviĉtae & in provinciam vel municipium redaĉtae extinĉtae ſunt, & Romanae ditioni acceſſerunt alienae Maieſtatis incrementum, nulla enim Gens niſi ſummo fruatur Imperio.

Perfeĉtam autem Gentem dicimus, in cuius poteſtate ea omnia ſunt, quae ad aſſequendum Civitatis obieĉtum neceſſaria. Quae igitur Gens aut iuſto & legitimo Imperio cives regere, aut vitae neceſſitatibus conſulere, aut externam iniuriam & arcere & vindicare propriis viribus non valet, perfeĉta dici nequit, ipſi enim deſunt media, quibus Civitatis finem conſequatur.

§. 3. *Conſectaria ex Principio Generali.*

1. Ergo ad ea omnia Gens ius habet, ſine quibus ſe & conſervare & perficere nequit.

2. Obiectum Civitatis felicitas & securitas publica, perfectio Gentis in aptitudine ad illud assequendum sita est, atque adeo hic loci fortasse videretur exponendum qua via quibusve mediis quod sibi propoſuit Gens consequi possit. Id tamen instituti nostri ratio non patitur, qui cum Publici Iuris Universalis Scientiam tradimus nihil exponere satagimus, quod a certis principiis certa argumentatione deduci non possit. Quapropter cum non iisdem principiis populorum omnium felicitas constet, neque una eademque paretur via, cum ab interna externaque iniuria se tutam praestare diverse Gens possit, ad specialem cuiusque Gentis politicam prudentiam spectat docere quid ex usu sit facere in unaquaque Republica iuxta ea quae alibi (1) adnotavimus. Sua quidem habet etiam Ars Politica inconcussa principia, quae facile regendis Civitatibus omnibus aptari possunt,

---

(1) Vid. Ius nostr. Tom. 2. P. 2. Cap. 3.

quae tamen breviter expoſuimus cum de adminiſtranda Republica & Iuribus Maieſtatis agebamus, ubi generalia ſtatuimus principia de optimis ferendis Legibus, quae totidem ſunt media finis Civitatis aſſequendi.

3. Sed nec utiles Leges condere, nec ſe perficere Gentem vel Civitatem poſſe liquido conſtat niſi ſe ipſam populoſque conterminos probe noverit, & ſolicita indagine Concivium indolem, numerum, mores, ingenium, vires inquirat, Regionis quam incolit naturam, foecunditatem, culturam, ſitum dignoſcere ſatagat, eamque indaginem ad finitimas praecipue Gentes traducat; quae enim ignota ſunt non tantum nullo pacto perfici, ſed ne ſervari quidem aut cuſtodiri queunt.

Illud igitur ſummi Imperantis primum officium eſt, ut Gentem ſuam optime noſcat, proprias penſitet vires, & quid conterminae Gentes valeant, meditentur, moliantur aſſiduo ſcrutetur ſtudio, ne quis imperandi cupidus populum, quem ab externa tueri debet iniuria imprudentem occupet & imparatum, quod ſaepiſſime factum

eſſe

esse Historia vitae Magistra docet.

4. Cum Gens individuis singularibus constet, ex singulorum perfectione generalis perfectio Gentis conficitur: atque adeo per pactum sociale quisque sibi onus imposuit, ut praeter propriam & individuam, socialem etiam perfectionem adipiscatur, quae in eo sita est ut quisque in dies maiorem quam potest & bonorum & operarum partem in commune conferre enitatur ad felicitatem publicam promovendam.

5. Curabit igitur Civitatis Rector ne quis in ea sit ab omni opere solutus, & otiosus omnino, qui societatis bona in propria commoda vertat nulla operarum retributione & impendio.

Otiosi in Civitate esse possunt vel privato vitio, vel vitio Legum: si primum corrigendi puniendique, & expellendi etiam e societate, emolumenta enim Civitatis usurpant qui nihil in ea conferunt; si alterum Leges emendandae. Fortasse otiosos homines omnes eliminare nefas donec privatorum Patrimoniorum incrementis praescribatur modus,

quod fieri non poſſe arbitror ſine maximo civilis induſtriae detrimento. Sapientiſſimum dixeris Legumlatorem, qui hominem potentiae & dominationis, atque adeo opum, quae utriuſque fere ubique effectrices ſunt, cupidum ita Legibus temperet, ut nullibi potentiam & dominationem adipiſci poſſit niſi in publica promovenda felicitate.

6. Alterum officium ex naturali ſe perficiendi Lege derivatum, & Genti eiuſve Rectori impoſitum illud eſt ut diligentiſſime curet ut quiſque in Civitate perfecte munere ſuo fungatur, ad quod & Legum ſanctione coguntur, & gloriae & honoris ſtimulis, & Patriae amore excitantur Cives. Altera tamen via & planior & expeditior ad diligentiam & ſtudium Civium aſſequendum; perfectio enim nulla ſine labore, nullus labor ſine quodam ſenſu moleſtiae, quae difficile admodum metu poenae toleratur. Nam ſi quando vitare poenam poſſit, idque frequentiſſime fiat oportet, jam naturalis ignaviae illecebris homo vincitur, & ad indolentiam recidit. Aliquid igitur ſit oportet animo inſitum, quod labantem

perpetuo quodammodo erigat, & molestiam illam in voluptatem convertat, quod quidem Patriae charitas, & laudis Gentis suae amor mirifice efficit. Si sui amor publicam charitatem vincat iam nulla perfectionis spes.

Exinde apud nonnullas Gentes artificia fere omnia ad perfectionem & elegantiam perducta, & quae Civitati non exiguum quaestum afferunt accepta referenda partim ministerio Legum, partim principiis, quibus puerilis informatur aetas, quae Cives postea ita moratos efficiunt, ut in iis quae eorum curae commissa sunt non tantum privatum emolumentum, sed & laudem & honorem Gentis suae propositum habeant. Beata Gens esset & perfectissima, apud quam Civilium Legum systema ita esset sapienter constitutum ut privata utilitas nunquam esse posset a publica disiuncta, quod tamen adhuc in desideratis esse arbitror.

§. 4. *De Officio Gentis circa sufficientiam Vitae, ubi de Commercio.*

Obiectum Civitatis felicitas publica, quae nulla esse potest si necessaria ad vitam

ſuſtentandam, iucunditerque ducendam deſint, ſed haec per commercium internum & externum comparantur, ergo utrumque a Gentibus pro viribus promovendum.

Internum commercium dicitur quod Provincia cum Provincia, Regio cum Regione eiuſdem Gentis exercet per rerum & operarum permutationem, & communicationem, *externum* quod Gens exercet cum Gente.

Utrumque Jure Naturae praeceptum eſſe vix dubitandum ſi huc revocentur quae alibi diximus de communicatione rerum & operarum inter homines. Quod autem ad internum adtinet eo magis illud exercere inter ſe Cives eiuſdem Gentis iubentur, quo arctiori vinculo per foedus ſociale ad rerum omnium communicationem obligantur.

§. 5. *Conſectaria.*

1. Si qua Lex igitur liberum commercium inter eiuſdem Nationis provincias vel impedit vel vetat, iniuſta & contra officium eſt & foedus ſociale, per quod ſinguli omnibus & omnes ſingulis promiſerunt ſe commune bonum collatis viribus pro-

moturos. Gens igitur universa societas aequalis, quae & damnum & lucrum, & secundam adversamque fortunam communicat, absurdumque omnino est ut in summa annonae caritate pars Gentis cibariis abundet, pars vero extrema laboret penuria.

Attamen ad nostra usque tempora vix unam in Europa Gentem reperire erat, in qua municipalibus Legibus cautum non esset ne aliquod mercium genus ab una ad alteram exportaretur Provinciam: quod quidem exinde factum arbitror quod nulla in Europa Natio sit, quae tota uno eodemque tempore in Civilem Societatem coaluerit, sed potius ex finitimarum Urbium ruinis quasi ex fragmentis concreverit, atque adeo nil mirum si contermini populi qui per vim multoties, atque adeo inviti potentiori accedebant sibi tantum consulendum & prospiciendum curarent, non Genti universae, quae eorum everterat Imperium, privilegiis a Victore Populo impetratis, quae privatam, non universalem Gentis utilitatem respicerent (1).

(1) *Nulla fuit in Italia potissimum libera.*

Eiuſmodi politicae adminiſtrationis vitium alicubi a Sapientiſſimis Principibus emendatum, tandemque viſum eſt nullo pacto recte adminiſtrari Rempublicam poſſe, niſi privatis odiis ſepoſitis, omnes aeque Provinciae eodem loco haberentur, & emolumentum & damnum invicem communicarent, atque adeo una eſſet provinciarum

---

Reſpublica, ſi Romanam excipias, quae cum deditis & devictis Populis aequale foedus inierit, eiſque in eamdem Societatem adſcitis iura Civitatis & Imperii publici communicaverit. Ut plurimum Provinciae iure belli quaeſitae veluti ſubditae habitae ſunt, unde maxima in ipſam victricem Rempublicam fluxere mala, irae nempe, diſcordiae, bella, defectiones, atque adeo victoris populi ruina & pernicies; nullus enim eſt tam abiecti animi populus qui diutius ſervitutem aequo animo tolerare poſſit, niſi eam & ipſi ſibi utilem ſentiat, aut ſaltem credat. Id quidem compluribus exemplis a Venetae, Januenſis, & Florentinae Reipublicae hiſtoria petitis confirmare poſſem ſi quae ad artem politicam ſpectant pertractare animus eſſet. Nonne & haec eadem Belli cauſa, quo florentiſſimum Europae Regnum cum diſſitis Americae populis noſtris temporibus commiſſum eſt?

omnium eiusdem Gentis perfecta & aequalis Societas.

2. Commercium autem externum hypothetice a Natura praeceptum; si enim soli ubertas, Civiumque industria omnia suppeditet, quae ad internam, externamque Gentis perfectionem comparandam sufficiant, si nihil sit ex soli aut industriae fructibus, quod Gentis indigentiae supersit, iam externi commercii obiectum & subiectum nullum est. Si secus, commercia externa exercenda tum ad comparanda ea, quibus Gens indiget, tum ad vendenda quae supersunt: alterum enim Civitatis obiecto respondet, alterum Gentis divitias auget, quas elementum esse diximus perfectionis status externi habita tum privati hominis, tum Gentis universae ratione. De Commerciorum Iure inter Gentes alibi dicemus.

§ 6. *De Divitiis Gentium, & earum aestimatione.*

Dives autem Gens dicitur, quae praeter rerum omnium ad vitae sufficientiam abundantiam, & praeter pecuniam commercio exercendo, & Reipublicae administrandae necessariam, auri & argenti vel nu-

merati vel data opportunitate numerandi ſummam aliquam habet ſepoſitam, quam ſi opus ſit in publicos uſus convertat.

Animadvertendum tamen eſt pecuniae eiuſmodi ſuperfluentis ſummam apud multos particulatim, quamvis non aeque diviſam eſſe debere, ut Gens dives dicatur; nam ſi unus vel alter pecunia numerata redundet, ceteri vero vix habeant unde languentem vitam ſuſtentent Gens dives nec eſt nec dici poteſt, non enim Perſonae morali aliquid jure tribues, quod non maiori individuorum componentium parti tribuere aeque poſſis.

Illud etiam animadvertendum quod terrae vel induſtriae fructus, ſi vel etiam indigentiam Gentis ſuperent, non tamen eam divitem conſtituere, ii enim ſervati corrumpuntur & pereunt, atque adeo divitias Gentis ex una ſuperfluenti numerata pecunia exiſtimandas eſſe patet.

§. 7. *Conſectaria.*

1. Nullo igitur alio pacto divitias comparare Gens poterit, quam externi commercii exercitio, eo enim pacto terrae & induſtriae fructus cum aliena pecunia per-

mutantur, atque adeo nullae divitiae proprie dictae ubi nullum commercium.

2. Commerçium triplex est, aequale, activum, passivum: *aequale* si merces cum mercibus, *activum* si merces propriae, quo nomine tum terrae tum industriae fructus veniunt, cum aliena pecunia, *passivum* si pecunia propria cum alienis mercibus permutatur.

3. Secundo casu ditescit populus, tertio ad inopiam vergit in dies: quapropter illud est Gentis officium, ut perpetua curet vigilantia ne ullum aliud apud eam commercium sit nisi activum.

4. Quod quidem facile assequetur, si optimis Legibus, praemiisque propositis agrorum culturam, qua nihil est utilius, nihil homine dignius, omnigenamque industriam excitet, & alienarum mercium nimiam libidinem, & non veram multoties earum indigentiae opinionem emendet, corrigat, compescat. Quapropter Civitatis Rectori ius erit commercium externum ita Legibus temperandi ut nullum exinde populus detrimentum patiatur sine ulla exterarum Gentium laesione, quod infra clarius apparebit.

§. 8. *An Gens ſub alterius tutela & Patrocinio ſummum habeat Imperium.*

At ſi vel ob Civium paucitatem, vel ob territorii exiguitatem, finitimarum Gentium potentiam, aliamve ob cauſam, ſe Gens aut ſervare, aut ab externa iniuria tueri propriis viribus non poſſit, potentiori accedere, eiuſque patrocinium, clientelam, praeſidium inito foedere comparare ſibi poſſe ex principio generali manifeſte patet. Si patrocinium a potentiore conceſſum ea conditione ut inferior aliquid invicem potentiori praeſtet utriuſque obligationes & iura mutuae promiſſiones dimetiuntur, a quibus recedere nefas.

Quaeſitum tamen eſt an ſi populus alter alteri praeſidium & tutelam, alter vero vel Imperii reverentiam; vel operam, vel annuum tributum (1) polliceatur, Maieſta-

---

(1) Juſtinianus *Caeſar annuam Perſis praeſtitit pecuniam, quae quidem honoris cauſa ſtipendium vocabatur ad tutandas portas Caſpias*. Procop. *Perſicor.* 2. *Cap.* 10. & *Gothic.* 4. *Cap.* 15. *Notum eſt Turcarum Regem imitari multoties* Juſtinianum, *qui*

tem amittat, & a summo cadat Imperio. Vix dubitandum puto eum summo Imperio potiri, apud quem iura Maiestatis illaesa supersunt quamvis inaequali foedere teneatur; nam dummodo in interna externaque Reipublicae administratione a nullius pendeat arbitrio, parum interest quod se alienae opis indigentem fassus fuerit, & potentiori populo reverentiam, aut patrocinii pretium operam vel annuum censum promiserit: confessio quidem infirmitatis aliquid de dignitate delibat, Imperium summum non attingit, Patronus in superiori conditione causaque ponitur, inferior tamen eius imperio non subiicitur, & obligationes erga potentiorem populum ex pa-

---

Montanos Arabas, aliasque liberas Gentes in Imperii finibus positas sibi inaequali foedere reipsa iungit annuam ipsis solvens pecuniam, quae tamen molli vocabulo stipendium dicitur ut fines Imperii tueantur, revera tamen Imperii ipsius infirmitatem arguit; in bene enim administrata Republica finitimae Gentes armato milite non pecunia in officio continentur.

ĉto non ex imperio ortum ducunt, atque adeo quamvis auctoritate, dignitate & viribus impar, attamen liber eſt, ſervatque illaeſam Maieſtatem (1) Quod ſane & in Imperio Feudali obtinet, quamvis Vaſallus Domino fidem & operam promiſerit, eiuſque Maieſtatem ſe comiter ſervaturum ſpoponderit (2)

---

(1) *Concord. L. 7. ff. De Captiv. & poſtlim.* Quemadmodum clientes noſtros intelligimus liberos eſſe etiamſi neque auctoritate, neque dignitate, neque iure omni (*ſive ut Haloandro placet* viribus) nobis pares ſint, ſic & eos qui Maieſtatem noſtram comiter conſervare debent liberos eſſe intelligendum eſt. *Sicut enim Patrocinium privatum non tollit libertatem perſonalem, ita Patrocinium publicum non tollit libertatem Civilem. Vid.* Ciceron. *in Orat. pro L. Cornel. Balb. Cap.* 35. *& ſeqq.* Grot. *Lib.* 1. *Cap.* 3. §. 21. *& ſeqq.* Van der Muelen *ibi*. Henr. Cocc. *Diſput. Curioſ. Tom.* 2. *Diſput.* 3. §. 40.

(2) *Feudum enim haberi poteſt tamquam inaequale foedus, in quo alter fidem, operam, & reverentiam pollicetur, alter vero alteri fidem mutuam, praeſidium & tutelam; nam quamvis Dominus aliquam habere poſſit*

Eiusmodi foederum inaequalium exempla & vetus & recens Historia suppeditat: ad quod genus haud incongrue referri possunt publica pacta, quae nunc in Imperio potissimum Romano-Germanico *Protectionis, Advocatiae armatae (1) salvaeguardiae &*

---

iurisdictionem in Vasallum, & in eum Iudicium quasi ordinarium exerceat Lib. 1. *Feud. Cap.* 10. 2. *Feud. Cap.* 15. 16. 20. 34. 35. *non tamen ob id Vasallus Maiestatem amittit, cum in nonnullis iudicio Domini subiiciatur ex pacto & contractu Feudali non ex Jure Imperii aut subiectionis.*

(1) Cum nempe Gens in alterius Gentis clientelam concedit salvis iuribus Maiestatis & libertate civili; etsi enim inferior aliquid praestare potentiori promittat ut praesidium & tutelam obtineat, Maiestatem servat, & promissa praestat ex pacto, non ex summi Imperii potentia. Atque adeo verum est effatum illud apud Germanos, apud quos Advocatia armata *frequentior* „ Schutz und schirm gibt keine obrigeit „ *nempe* „ protectio & defensio nullam tribuit superioritatem „ *Vid.* Mager. *De Advocat. Armat. Cap.* 1. *n.* 287. & *Cap.* 10. *pass.* Marculph. *Lib.* 1. *Cap.* 21. Samuel. Cocc. *ad* Grot. *Lib. cit.*

Mundiburdii (z) vocantur, quorum iura omnia non ex Imperio, fed ex confenfu & pacto derivantur.

Si vero non tantum infirmitatem populus, inito cum potentiori inaequali foedere, fateatur, fed in eum etiam aut nonnulla, aut omnia Maieftatis iura transferat, aut fummum imminuitur Imperium, aut interit omnino. Primo cafu populi ut plurimum fub umbra foederis fervitutem patiuntur, apud quos in fpeciem eft potentioris tutela & patrocinium, re precaria libertas, altero vero nec vana libertatis fpecies fupereft, & populus, five Gens omnino extinguitur.

Pofteriori cafu Societas Civilis diffolvitur, & Civi cuique integrum eft Patrimonio divendito fibi novam ubilibet quaerere patriam; extincta enim Societate omnis

---

(z) Mundiburdium *juxta Vocabuli Anglo-Saxonis ethymon* patrocinium, tutela. *De quo eadem adnotari poffunt, quae fupra de Advocatia armata diximus. Vid.* Du Cange *Gloff. med. & infim. Latinit. Voce* Mundiburdus, & Mundius.

interit Socii obligatio, nec novum subire Imperium invitus cogi sine iniuria potest.

Ceterum si foedus inaequale sit, at sine summi Imperii imminutione, haberi potest veluti mutua promissio, iisdemque regulis alibi traditis diiudicatur; mutuo enim consensu dissolvitur foedus, & si alter datam fidem violet alterum liberat a promissione servanda, nisi ius perfectum sibi quaesitum per vim & publico bello vindicare velit (1).

§. 9. *Quid iuris si Populi pars, aut Regni provincia indefensa deseratur.*

Eodem fere argumento ostenditur sociale foedus dissolvi omnino si populi partem ab impendenti hostium incursu, atque adeo internecione & excidio reliqua Gentis

---

(1) Quaesitum est an superior potentiorque Populus qui plus iuris quam per foedus liceret in inferiorem sibi arrogat longa inferioris patientia usurpata iura convalidet. Bene statutis de iure Praescriptionis inter Gentes principiis, de quo suo loco dicemus, facile eiusmodi quaestio dissolvetur.

pars tueri aut nolit aut nequeat; naturale enim ius reviviſcit quodammodo tum neceſſitate exigente, tum aut ob denegatam tutelam, aut ob defenſionis impotentiam.

Ius erit igitur indefenſae, dereliƈtaeque Provinciae veluti Populo libero vel cum hoſte paciſci, eiuſque ſe ſubiicere imperio (1), vel ad alterius Gentis Societatem accedere, ipſi liberatam dare fidem, eamque licito iureiurando confirmare: quod quidem a multis faƈtum eſſe legimus (2), praecipue vero a nonnullis Helvetiae Urbibus, qui fruſtra patrocinium & tutelam ab Auſtriacis Ducibus & ab Imperio poſtulantes Helvetico foederi nomen dederunt.

---

(1) *Id paſſim ſit inter Gentes bellantes; ſi qua enim urbs impetitur vel obsidetur ab hoſte, & brevi vel violento hostium incurſu, vel fame peritura ſit, tamquam perſona moralis libera cum hoste licite, valideque quod utilius eſſe videtur paciſcitur, & ſe dedituram etiam promittit niſi intra certum tempus pars reliqua Gentis ſuppetias ferat.*

(2) Vid. Wolf. *Ius Gent. Cap.* 7. §. 867. *Exempla vetera vide apud* Grot. *Lib.* 2. *Cap.* 6. §. 6. *in Not.*

CAP.

CAPUT II.

De Dominio & Imperio Gentis.

§. 1. Cum Gentem dicimus summum constitutum Imperium intelligimus, quod Ius, cum personas per se respiciat, esse potest & sine proprie dicto Dominio, ut apud Nomadas populos qui pascendis gregibus huc illhuc vagantur, nec stabiles sedes habent solo creatarum rerum usu contenti.

Gens igitur vel ex familiis agricolis, propriosque & occupatos particulatim agros possidentibus coaluit, vel facto quasi impetu vacuam terrae regionem occupat. Primo casu Imperium & Dominium Gentis non ultra eos fines extenditur, quibus veterum familiarum possessiones circumscribebantur, altero eo usque progreditur, quo manifestis indiciis patet Regionem occupatam fuisse, & primaevae communioni facto aliquo permanente & industria hominum, non verbis tantum subtractam, quae quidem necessaria esse ad acquirendum dominium alibi (1) diximus.

---

(1) Vid. P. 1. Cap. 8. §. 2. & 3.

Ubi dominium, ibi & Imperium eſt Gentis, nam quamvis ad perſonas Imperium referatur, tamen & omnes Regionis partes occupatas afficiat oportet, quippe alterum ſine altero intelligi vix poteſt, non enim comparatum ſibi dominium ab interna externaque iniuria tueri Gens poſſet, ſi qua eſſet Regionis pars, in qua Imperii vires exſerere nefas, aut a qua iniuſtos invaſores arcendi nulla facultas.

Itaque Regio per Univerſitatem occupata Gentis *Territorium (1)* dicitur, in quo & ſummi Imperii & publici Dominii jura exercet nemine contradicente.

§. 2. *Conſectaria.*

1. Cum eadem ſit publici & privati dominii origo manifeſte patet Luſitanos alioſ-

---

(1) Territorium a terrendis hoſtibus, vel a terrendi vel ſubmovendi iure dictum volunt. Vid. Sicul. Flac. *De Condit. Agror. pag.* 3. Varron. *De Lingua Latin. Lib.* 4. *pr. L.* 239. §. 8. *ff. De Verb. ſignif.* Cuiac. *in obſervat. ad L.* 53. *Cod. De Decurionib. a terra derivatum ethymon aſſerit*, Servius *a terendo quaſi terra bobus & aratro trita Gentis ſit Territorium. Ad Aeneid. Lib.* 5. *verſ.* 755.

que populos fruſtra nulloque iure Terras omnes, quas deſertas vacuaſque in novi Orbis Regionibus invenerant eorum dominio & Imperio ſubiectas, & quaſi ſibi proprias vindicare voluiſſe, eo quod in eas tantum e navi deſcenderent (1), ibique aliquod erigerent inſtabile monumentum, poſſeſſionis ſignum; dominium enim non nuda ſimplicique apprehenſione rei acquiritur, ſed facto potius, quod novam quodammodo in rem occupatam modificationem inducat, laboris & induſtriae fructum, unde omnes intelligant eam rem ad naturalem & primaevam communionem amplius non pertinere.

2. Ex eadem dominii origine facile patet quid ſtatuendum ſit de nonnullis conceſſionibus (2) pio fortaſſe conſilio factis, quarum vi ignoti Orbis provinciae detegendae inter Caſtiliae & Luſitaniae Reges diviſae ſunt, iiſque tamquam propriae adiu-

(1) *Vid.* Hutch. *a Syſtem. of Moral. Lib.* 2. *Cap.* 7. *n.* 111.

(2) *Vid.* Leibnitz *Cod. Jur. Gent. Diplom.* n. 165. & 203.

dicatae. Ceterae quidem Gentes & eiusmodi divisione, & inani Hispanorum Lusitanorumque occupatione posthabita, Regiones quae adhuc vacuae & desertae erant dominio & Imperio suo subiecerunt.

3. Quapropter eam terrae partem occupasse Gens intelligitur, quam propria incolere possit industria, cuiusque fructus & praesenti & futurae indigentiae sublevandae sufficiant; & quamvis suae quisque indigentiae iudex sit, eius fines aliquo pacto regantur oportet, ne quid inutile & infructuosum cum humani generis propagationis detrimento supersit. En igitur qui a nostris principiis deducuntur canones generales.

4. Cum quaedam sint, quae sponte a Natura feruntur agrorum culturae necessaria, ut prata, nemora, sylvae, quae pabula gregi & armento praebent, ea occupata censentur quo in pascuum mittuntur pecudes, vel uno verbo sine quibus vitae sufficientiae consulere nefas; quamvis enim ea loca in naturali sint primaevo statu, nec novam per Gentis industriam modificationem induerint, tamen usus ipse & utendi necessitas industriam supplet & ius parit

dominii (1). Cum tamen ea loca humani laboris indicia non praebeant, iis notentur signis necesse est, quae actualem usum, & utendi necessitatem indicent, & quadam veluti saepiant custodia, ut & contermi-nae, & aliae Gentes ab eorum usu & do-minio abstineant.

5. Eodem argumento ostenditur quod siqua sint Territorio inclusa, quae proprie dictam occupationem quod ad integritatem non patiantur, nec tamen securitatem ob-tinere Gens possit, nisi ceteri omnes ab earum usu excludantur, ea quodammodo occupata censenda esse, & a primaeva com-munione sublata, quae enim Lex ut secu-ritati consulam imperat, ea mihi media om-nia suppeditat, sine quibus Legi obtempe-

---

(1) *Quapropter iniuria de Romanis que-rebantur Ansibarii apud* Tacitum *Annal. Lib.* 13. *Cap.* 55. *quod ipsis nollent vacuas terras, atque adeo Jure Naturae occupabiles concedere, nam terrae illae vacuae omnino non erant, cum pascendis pecoribus & ar-mentis militum inservirent, quae justa fuit Romanis negandi causa.*

tare non poſſum. Sic flumina & lacus, qui in territorio Gentis ſunt quatenus flumina aut lacus, ſeu quod ad integritatem in dominio ſunt Gentis illius, licet ut aqua profluens vel ſtagnans occupari non poſſint, neque enim propriae fiunt aquae niſi a quo hauriuntur.

6. Si qua igitur Gens adeo domi augeretur, ut antiquis finibus contineri non poſſet, atque adeo & novas Sedes, novoſque agros quaerere cogeretur qui neceſſaria praeberent alimenta, iure ne ageret ſi eam ſoli partem invaderet, quae aliquando certo anni tempore aut venationi, aut paſcuis errantium populorum inſervit? Nos quidem iure agere dicimus; paſtores enim venatoreſque Populi rebus creatis utuntur, non eas dominio & proprietati ſubiiciunt, atque adeo alios omnes ab actuali uſu ſylvarum, pratorumque quibus inſiſtunt, & quo pecudes agunt ad paſcua, arcere poſſunt, cetera vero communia & occupabilia ſuperſunt, quippe refixis tentoriis, & armentis amotis, nil habent quod hominum laborem & induſtriam ſignificet, & talia remanent qualia a Natura prodita fuere. Huc accedit

quod contra Legem & iniuria agunt Nomades populi, qui eam ſibi comparare perfectionem, quam Natura imperat, negligunt, & quam adipiſci in erranti paſtoralique vita nefas eſſe diximus (1). Cum igitur ad agrorum culturam Natura vocante excitentur, iniuria immenſum fere ſoli ſpatium poſſidere poſtulant, quod ſi ad culturam redigatur, multo maiori hominum numero alimentum praebeat. Itaque ſi cibi penuria urgeat ad culturam agrorum errantes populi per vim etiam iure coguntur.

Eiuſmodi argumento nonnullas Europaearum Gentium in Americae Regionibus occupationes ab obiecta iniuſtitia purgare fortaſſe fas eſſet, ſi ad diſſitas inhoſpitaſque ignotae Terrae oras Europae incolas neceſſitas, cibique penuria, non auri ſacra fames, & inſatiabilis imperandi cupiditas compuliſſet.

§. 3. *De occupati Territorii diviſione.*

Si in partes dividitur occupatum a Gente ſolum, & unicuique ſua pars tribui-

---

(1) *Vid. Jur. noſtr. P.* I. *Cap.* 8. *pag.* 198.

tur aſſignatae partes *res ſingulorum* dicuntur, quaé vero non ſingulis viritim, ſed Univerſitati alicui aſſignantur, *res Univerſitatis*, quarum proprietas in Univerſitatem translata eſt, uſus vero in ſingulos eam componentes; quae denique in Gentis dominio ſunt *res publicae* nuncupantur. Cetera quae in Territorio inveniuntur & occupari nequeunt ad communionem pertinent primaevam, atque adeo communes ſunt.

Rerum occupatarum diviſio apud Juriſconſultos Romanos intricata admodum & fere inexplicabilis, quod multoties eaſdem res & communes, & publicas iure Gentium & nullius promiſcue dixerint, quae tamen vocabula ſuis rebus conſtanter aptanda. atque diverſae ideae probe inter ſe erant diſcernendae (1).

---

(1) Viſum quippe eſt Romanis Juriſconſultis eas res quae in privato ſingulorum patrimonio non erant vocari poſſe promiſcue & publicas iure Gentium & communes & nullius L. 2. §. 1. L. 4. §. 1. L. 5. L. 14. ff. De rer. diviſ. §. 4. & 5. Inſtit. Tit. eod. L. 24. pr. De Damn. infect. L. 1. §. 18. ff. De

§. 4. *Consectaria.*

1. Rebus igitur Universitatis qui ex ea sunt uti frui debent salva earum substantia,

---

Oper. nov. nunciat. L. 3. *ff. De Flumin. L.* 13. §. *final. De Iniur. L.* 1. §. 1. *L* 3. *pr. ff. De Acquir. rer. dom. Itaque & mare, & flumina, & littora, & ripas, & vias ipsas publicas, & communes & publicas iure Gentium & nullius dixere, cum enim ad singulos non pertinerent, atque adeo in nullius privati patrimonio essent generis humani proprias esse dixerunt: quod quidem falso innititur principio; quamvis enim res singulorum dici non possint, haud tamen exinde sequitur in nullius dominio esse posse: Gens quippe si vacuas terras occupet, earum acquirit dominium tamquam persona Moralis, illudque retinet quod ad omnes Territorii partes, quae singulis assignatae non sunt. Itaque lacum territorio inclusum, flumina, ripas, littora, vias publicas communes iure Gentium & proprias humani generis asserere absurdum est; nihil enim est quod ex. gr. clariora proprietatis & dominii indicia praeseferat, quam publica via, quae maximo labore strata magnis sustentandis oneribus par facta est, atque adeo novam hominum industria acquisivit modificationem,*

niſi res ipſo uſu conſumantur & pereant, ut gramen a communi prato divulſum, aut

---

a qua praecipue dominii originem deducendam eſſe diximus. Idem intelligas de portu, ripa &c. Huc accedit quod eiusmodi doctrina ceteris Juriſconſultorum Regulis adverſatur, nihil enim in res, quas communes dicunt iure Gentium, Populo in territorio ſuo liceret ſine humani Generis laeſione, atque adeo nec lacum exsiccare, nec alio derivare flumina, nec molem in flumen iniicere, nec aliud facere poſſet quod liberae Gentium navigationi impedimentum afferret. Hiſce adde quod iniuſta & incongrua diviſio eſſet in agros limitatos & arciſinios, quos qui poſſident et ripae et littoris et alvei dominium habere dicuntur. Quae quidem omnia quo pacto cum iis quae de rerum diviſione docent, conveniant non video. Id quidem egregie et eleganter explicavit Grotius *Lib. 2. Cap. 2. §. 3. duplicem enim eſſe docuit occupationem, unam per univerſitatem, alteram per fundos* „ Prior, *inquit*, ſolet fieri per populum, aut eum qui populo imperat, altera deinde per ſingulos, magis tamen aſſignatione, quam libera occupatione. Quod ſi quid univerſim occupatum in ſingulos deſcriptum non eſt, non ideo vacuum cenſeri debet; manet enim in dominio primi occupantis, puta populi, aut

ligna caesa ex communi ſylva *(1)*.

2. Si earum uſus abſolutus eſt, nullique conditioni ſubiectus non differt a rerum publicarum uſu, qui omnibus ita conceſſus, ut alter alterum utendo praevertere, & ab actuali uſu a nemine arceri poſſit: alterae tamen ab alteris differunt quod illis Univerſitas tantum, ſive pars Gentis, his autem Gens univerſa utatur; ſed cum Gens ipſa veluti Univerſitas haberi poſſit, earum uſus ſi abſolutus iiſdem regulis ſubiicitur (2).

3. Cum harum rerum uſus ad Univerſitatem vel Gentem pertineat, hae autem perſonae morales ſint, quae individuorum

---

Regis. Talia eſſe ſolent flumina, lacus, ſtagna, ſilvae, montes aſperi „ *Vid.* Sam. Cocc. *ad* Grot. *Diſſert. Prooem.* 12. §. 245. *et ſeqq. et in Not. ad l. c.*

(1) Concord. L. 2. §. 9. *ff. Ne quid in loc. publ. L.* 6. §. 1. *ff. De rer. diviſ.* §. 3. *Inſtit. Tit. eod.*

(2) *Concord. plures Leges, quae habentur in Titulis Digeſtorum De Rer. diviſ. Ne quid in loc. pub. De Oper. nov. nunciat. De Fluminib. Ut in flum. publ. De Damn. infect. &c. qui adeundi ſunt.*

morte non extinguuntur, ſed per ſuccedentium ſeriem continuantur dum idem eſt unionis principium, qui praeſentem Univerſitatem conſtituunt rebus ſuis utantur oportet, ut nullum futuris detrimentum afferant: quapropter nullum Univerſitati ius res communes alienandi vel oppignorandi, niſi id evidens utilitas aut neceſſitas ſuadeat.

4. Cum vero uſus Univerſitati vel Genti conceſſus ſit, nemini rebus communibus ita uti licebit, ut ceterorum uſui impedimentum afferat, niſi res eius naturae ſint, ut uſum promiſcuum non patiantur. Si quis enim prior uſum occupat ceteros omnes iure excludit, ut accidere ſolet in hauſtu aquae ex puteo aut fonte communi vel publico.

§. 5. *De Imperio & Dominio eminenti in res publicas.*

Translato Imperio, cum iura omnia Populi in Imperantem una transferantur, niſi aliter Legibus fundamentalibus cautum ſit, res publicae Imperantis dominio ſubiiciuntur, uſus tamen, niſi & ipſe ex parte translatus ſit Populo relinquitur, cuius libertatem turbare nefas niſi publicae felici-

tatis caufa aut neceffitate exigente.

Vi tamen fummi Imperii fi communi bono expedire videatur rerum tam publicarum, quam ad Univerfitatem fpectantium ufum Gentis Rector Legibus iure temperat, vi autem Dominii eminentis fi communis utilitas aut neceffitas id expofcat de rebus tam publicis, quam Univerfitatis aeque & rite difponit tum quod ad earum ufum, tum etiam quod ad fubftantiam (1), fi maxime ius fummi Imperii nullis fuerit limitibus circumfcriptum: fi fecus & Rectori Gentis Legibus fundamentalibus obtemperandum.

De Domaniis & Redditibus publicis alibi diximus (2). Illud hic addendum quod quamvis certum fit ea bona in patrimonio Principis non effe, attamen fi ius Imperii abfolutum (3) translatum fit, ea neceffitate

---

(1) *Vid.* Grot. *Lib.* 1. *Cap.* 1. §. 6. *ibiq. Comment.*

(2) *Vid. P.*2. *Cap.* 3. §. 20. *pag.* 323. *T.*2.

(3) *Si vero limitatum et certis Legibus circumfcriptum Imperium translatum fit ita ut Princeps non poffit aut domanalia bona,*

exigente & oppignorari & alienari poſſe non ambigendum; cui enim impoſita eſt communi bono conſulendi abſoluta obligatio, ei reſpondentia iura omnia conceſſa intelliguntur, ſi maxime non in privatorum commodum, ſed in univerſae Gentis ſalutem publicis alienantur conventionibus. Eodem enim pacto quo Gens Genti cedere bona publica ob utilem vel neceſſariam cauſam poſſet, non video cur eius Rectori, in quem iura Gentis omnia translata ſunt in hypotheſi, id aeque & iure non liceat (3).

Quaerunt nonnulli an Summo Imperanti Populi partem ſive Regni Provinciam exterae Genti cedere, & eius Imperio ſubii-

---

aut publicos redditus alienare, tunc alienatio invalida niſi conſenſus Populi accedat, cuius in patrimonio bona eiuſmodi ſunt, permiſſa tantum Regi nuda adminiſtratione. Concord. L. 14. *pr. ff. De Acquir. rer. dom. L.* 15. *ff. De Verb. ſignif. L.* 17. *ff. eod. L.* 3. *pr. ff. Ne quid in flum. publ. Vid.* Grot. *L.* 2. *Cap.* 6. §. 11.

(3) *Vid. tamen* Wattel *Dr. des Gens lib.* 1. *Cap.* 21. §. 260. Pufend. *Lib.* 8. *Cap.* 6. §. *ult.* Grot. *Lib.* 2. *Cap.* 6. §. 11. 12. 23.

cere ius sit. Distinguendam quaestionem putamus.

Si quaeritur an Princeps in summo universae Gentis discrimine, ut maximam populi partem servet, fidem obligare possit se renunciaturum Imperio alicuius Provinciae, neque eam ab externa vi defensurum, id valere dicimus, in sociali enim foedere omnes singulis tutelam & protectionem quidem promisisse censentur, excepto tamen necessitatis casu, ne scilicet unius defensio ceteros omnes perdat, inutilique conatu & pars defensa pereat, & totum corruat corpus; si autem Principis aut Reipublicae cessionem cum obligatione parendi connexam afferunt, ita ut derelictus & indefensus populus novum subire Imperium iure debeat, negamus iis innixi argumentis quibus supra ostendimus apud desertam a societate & indefensam Provinciam naturalem adeo reviviscere libertatem ut saluti suae consulere ex sententia possit; atque adeo & vim vi repellere, & novum detrectare potest Imperium (1), cui nullo iure subiicitur nisi

---

(1) Id multoties factum esse legimus;

aut tacite aut expreffe in id confenferit (2), nullum enim eft legitimum Imperium nifi in confentientes: tacite autem confenfiffe praefumitur, fi ita ius Imperii tranftulit ut Regi Imperium ipfum alteri cedere legitima facultas fit.

§. 6. *De Fluminibus et lacubus limitrophis, eorumque dominio et Imperio.*

Cum omnia quae intra fines territorii occupati dominio & Imperio Gentis fubiiciantur

---

Aquitani enim nulla habita donationis Richardi II. ratione a Regno Angliae feparari renuerunt. Polyd. Virgil. *Hift. Angl. Lib.* 20. *& cum Nifibin Urbem cederet Perfis Jovianus Caefar, jure poftulabant Cives ut fibi patriam fedem propriis viribus defendere liceret.* Ammian. Marcellin. *Lib.* 25. *Cap.* 12. *quorum populorum exemplum noftris temporibus renovatum eft fub* Francifco I. *Gallorum Rege, qui Ducatum Burgundiae* Carolo *V. cefferat.*

(2) *Opportune* Grotius *Lib.* 2. *Cap.* 6. §. 4. In partis alienatione aliud infuper requiritur, ut etiam pars de qua alienanda agitur confentiat. *Vid. quae affatim congeffit quod ad Principum alienationes* De Real *Dr. des Gens Cap.* 4. *Sect.* 5. §. 8. *pag.* 814.

ciantur non excipienda flumina aut lacus supra monuimus, qua nempe flumina & lacus dicuntur, non qua stagnans aut profluens aqua; aquas enim proprias non fieri diximus nisi a quo hauriuntur. Nec obiiciendum puto & lacus & flumina in naturali adhuc esse statu, & adeo humanam eludere industriam, ut nullum praesceferant occupationis, atque adeo humani laboris indicium, quod quidem praecipuum proprietatis characterem esse diximus, praetermisso enim validissimo, quod supra (1) attulimus a securitate Gentis deducto argumento, negamus primum & lacus & flumina qua talia humanam omnino eludere industriam, quippe multoties & moles in flumen aut lacum iniicitur, & ripae magnis sumptibus muniuntur vel ut angustiori loco contineantur aquae, vel ne alio fluere incipiant, & sata inundent, vel ut statio iterve navigio commodum sit. Huc secundo accedit quod circumcolentes Cives & flumen & lacum inclusum quasi custodia saepiunt, satisque

---

(1) §. 2. *Coroll.* 5.

Gentibus indicant ſe ad ſufficientiam vitae & ad Civitatis ſecuritatem & flumine & lacu indigere, atque adeo a communione primaeva utrumque ſublatum, quae quidem omnia pro occupatione eſſe debere inter Gentes paulo ante monuimns (1).

---

(1) *Eamdem amplectitur ſententiam* Grotius *ſed infirmis innititur argumentis. Utrique* Cocceii *ad h. l. contraria docent iuxta Romani Juris regulas; apud Romanos enim flumina iure Gentium publica, nullius, & communia dicuntur, quod & ſupra notavimus. Vid. Leg.* 1. §. 6. & 7. *ff. De Flum. L.* 7. §. 5. & *L.* 30. §. 3. *ff. De Acquir. rer. dom.* §. 23. *Inſtit. Tit. De rer. div.* Cocceius *Senior ait flumina occupari poſſe quod ad ſubſtantiam, non quod ad uſum quem habere poſſunt ita ut navigatio & piſcatio* publica *ſit* iure Gentium, *nempe iuxta verborum ſignificationem, generis humani propria. Illud animadvertendum vix concipi poſſe rem aliquam eſſe occupabilem quod ad ſubſtantiam, nullumque eodem tempore ius acquiri occupanti ad uſum quem habere poteſt res occupata; cum enim dominium inter homines introductum ut emolumenta & utilitates ex occupata re illius fiant, a quo occupata res eſt, idem erit*

At difficilior quaeſtio eſt de Imperio & dominio fluminis ſi utrimque duos populos diſterminet, & eorum ad utramque ripam iaceant Territoria. Omnis pendet a modo & origine primae acquiſitionis controverſiae diiudicatio: nam ſi procul dubio conſtat populum unum altero citius & Territorium prope flumen, & flumen ipſum occupaſſe, aut ſi diu flumine tamquam proprio uſus eſt ita ut ceteros omnes ab eius excluderet uſu, populuſque in altera imperans ripa huius iuris exercitium longo tempore paſſus ſit, primi quidem Imperio & dominio flumen accedet. At ſi neutrum oſtendi poſſit, & contentio de Imperio flu-

---

aſſerere rem aliquam occupari non poſſe, atque adeo dominio ſubiici, ac occupantem excludere ab eius uſu. Huc accedit, abſurdum intolerabile quod a Cocceii *fluit doctrina, nil nempe fieri poſſe in lacu aut flumine territorio Gentis incluſo, quod generis humani uſibus detrimentum afferret, et quo navigatio et piſcatio deterior fieret, ſecundo patiendum ut in flumine aut lacu peregrina navigia commorentur cum populi diſcrimine et praeſenti periculo.*

minis inter utroſque riparum dominos oriatur, praeſumptioni fit locus, & cum neutrius potiora ſint iura, eodem tempore occupationem factam eſſe praeſumitur, & utriuſque Imperia & dominia ad medium flumen pertingere (1): quae quidem regula eſt fere ubique inter Gentes in uſum deducta. Quod de flumine diximus id de lacu intelligendum eſſe manifeſte patet. Attamen fieri poſſet ut maior lacus pars in territorio includeretur meo, minima vero in alieno, & dubitatio ſuboriri an medius lacus utriuſque Populi quod ad dominium & Imperium terminus eſſe deberet. Nobis viſum eſt ripas unius populi recta linea uniendas, quodque ea ripiſque concluditur Territorium eius, qui riparum dominus eſt exiſtimandum. Si ad medium lacum eius qui minores ripas habet Imperium & dominium porrigatur, jam nulla circa ripas alterius partis, atque adeo in Territorio

---

(1) *Vid.* Grot. *Lib.* 2. *Cap.* 2. §. 4. *in fin. et Cap.* 3. §. 16. *et* 17. *ibique Comment.* Cocc. *et* Gronov.

proprio securitas, & si lacus decrescat, terra quae circa maiores ripas exarescit & culturae idonea efficitur non ad riparum dominum, sed ad conterminum populum saltem ex parte pertineret, scilicet quatenus medius lacus excurrit, quod est contra rationem & termini sive confinii naturam, lacus enim, quo Imperium populi finitur perpetuus & naturalis est terminus sive in angustiorem locum concludatur, sive ripas immutet & ampliet. Haec dicta volo de conterminis populis qui Imperii limitem per pacta non definierint: quod quidem praestandum, ut contentionibus obviam eatur.

§. 7. *Consectaria*

1. Si in dubio utriusque populi Imperium fluminis medietatem attingat, flumen autem adversas ripas corrodat, oppositisque ripis sensim per alluvionem terram adiiciat, idem flumen esse videtur, nec veterem speciem amittit, suique medietate populorum Imperia disterminat, qui eam Imperii limitem habere voluisse intelliguntur, atque adeo alluvionis incrementum in eius populi dominio & imperio est, cuius ripis accessit.

2. At ſi facto impetu alio currere caepit flumen, & alveum dereliquit, mutatur Imperii terminus, & qui medietatem fluminis qua fluminis, non qua aquae fluentis limitem habebant, alvei medietate ſeparabuntur, linea ſcilicet illa quae medium alveum ſecat; qui enim integrae alicuius rei dominus eſt, ſi res ex parte pereat, reliquae tamen partis dominium retinet, alveus autem eſt pars fluminis (1). Quae de flumine diximus ea lacui facile aptantur.

3. Quamvis fluminis Imperium ad conterminos populos aeque pertineat, ſi repentino impetu antiquas deſerat ripas, & in alterius populi territorium irrumpat, nullum alteri populo reliquum eſt dominium & Imperium; nam licet eadem ſit aqua, eademque aquae origo, attamen novum flumen eſt, & ad eum populum pertinet,

(1) *Nulla igitur neceſſitate compellimur ut huc conſenſus populorum revocetur, quaſi inter eos convenerit ſi flumen perierit ſe medium alveum Imperii terminum habituros: id quod* Grotius *commentus eſt Lib. 2. Cap.* 3. §. 17.

intra cuius territorium fluit, non enim aqua profluens, quae momento temporis immutatur, flumen dicitur, sed quatenus aqua ripis & alveo continetur.

4. Si vero flumen non utriusque oppositas ripas interluit, sed e superioris Gentis territorio in inferioris terras se exonerat, utraque Gens imperium & dominium in ea fluminis parte habet, quae intra fines est territorii.

5. Populus igitur qui superior est eo pacto flumine utatur oportet, ut inferioris navigationem & piscationem deteriorem non faciat: multo minus aquam alio derivare, aut quid in flumine superiori moliri, quo usus eius in inferiori parte corrumpatur, vel difficilior fiat, aut minor, vel rarior, iure poterit (1), nam vel uno eodemque tempore territoria sua occupaverint, vel unus post alium, occupasse ea praesumuntur qualia Natura ipsa prodiderat, & neutri ea deteriora facere cum alterius iactura licet.

---

(1) Vid. L. 1. §. 15. *ff. De Flumin.*

6. Idem intelligendum & de limitropho flumine, aut lacu, nam quamvis utrique populo ripas ſuas & munire & reficere liceat, attamen ita fieri omnia oportet, ut adverſa ripa, & uſus fluminis contermino populo debitus detrimentum non patiatur.

7. Si tamen ſalutis publicae neceſſitas urgeat, ut nullo pacto impendenti occurri poſſit periculo, niſi ex. gr. alio ad tempus flumen derivetur, alter populus id patiatur oportet; vi enim maiore id potius factum quam periclitantis populi voluntate exiſtimandum eſt. Sed quia aliena res ſervata cum alterius iactura, damnum reſarciendum juxta regulas, quas alibi, cum de iure neceſſitatis agebamus, conſtituimus.

8. Si quid in flumen ripaſve immittendum quod commune utriuſque Populi promoveat bonum, communi conſenſu, communibuſque impenſis praeſtandum eſſe ambigendum non eſt.

§. 8. *De Maris dominio & Imperio.*

Verborum improprietati & abuſui accepta referenda celebris de dominio maris inter viros clariſſimos magno argumentorum & ſententiarum apparatu diſceptata quae-

ſtio, ante omnia enim & *mare et dominium* clare & perſpicue definire neceſſe erat, quod tamen nunquam feciſſe liquet diſceptantes: ne igitur nobis vitio vertatur quod in aliis reprehendimus *mare* dicimus vaſtum illum aquarum ſale & bitumine admixtatum cumulum, qui in Terrae cavitatibus continetur, eiuſque tam magnam occupat partem, ut aridae quae ſuperſunt Planetae huius ſuperficies hominum uſibus aſſignatae veluti inſulae haberi poſſint vaſtiſſimo quaſi innatantes pelago, varioque aquarum ſpatio diſtantes inter ſe.

Immenſa haec aquarum congeries quamvis eadem ubique, & continuo quaſi alveo recepta diverſis tamen indicatur nominibus & iuxta regiones quas alluit, & iuxta Crateris, quo continetur, figuram & latitudinem. Si alicubi Terrae ſcopuli ita undarum impetus utrimque coercent, ut non longo intervallo terram a terra unda diſterminet, eae maris anguſtiae *Fretum* dicuntur, ſicubi vero non aequabili littore continentur aquae, ſed flexuoſis anfractibus aliquem in terra ſibi excavant receſſum, maris pars novo quodammodo alveo

concluſa *Sinus* nuncupatur. Generali tamen nomine aquae omnes inter ſe communicantes, Terraeque univerſae circumfuſae dicuntur *Mare*.

His poſitis, ſi quaeritur an mare qua ſub generali nominis ſignificatione intelligitur, dominio ſubiici poſſit, & in ius proprium alicuius Gentis abire, negamus; aquarum enim vaſtitate & mobilitate, & inviſibilis intractabiliſque profunditate alvei adeo humanam eludit induſtriam, ut nullo labore a primaevo Naturae ſtatu illud ſubmovere quis poſſit, quod tamen neceſſarium ad inducendam proprietatem diximus. Quapropter neminem adhuc, quod ſciam, univerſi maris dominium & Imperium affectaſſe legitur.

Quaeſtio igitur potius excitata inter Gentes de parte aliqua maris, an ſcilicet privato dominio & Imperio ſubiici poſſit. Et quidem ſi pars maris longo intervallo a terra diſtet, & in altum porrigatur, occupari non poſſe dicimus, tum quod humana non poſſit induſtria naturalis ſtatus faciem immutare, tum quod ratio deſit cur a communione primaeva removeatur; vaſta

enim aquarum congregatio longe a littoribus dissita usum praebet universis Gentibus inexhaustum quod ad navigationem & piscationem, & cetera eiusmodi emolumenta, quae quidem utpote inexhausta in commune Natura posuisse intelligitur; a communione enim recessum ob id tantum probavit, ut industriae tuae fructus potissimum tui essent, non ut Naturae ipsius humano generi opes sufficientes in proprietatem abirent. Nec a securitatis conservatione argumenta deducenda sunt, tua enim interesse non potuit, ut quis longe a terra vel naviget, vel piscationi incumbat.

At si maris partem longe etiam a terra dissitam Gens classe teneat, & quasi complectatur, non ambigendum quin omnes alios ab eius aquae usu iure arcere possit, ergo aliqua pars etiam vasti maris dominii capax est. Respondeo usum maris in ea parte occupatum, non dominium, & finito usu aquam ad primaevam redire communionem; dominium enim non tantum usum, fructumque actualem domino debitum significat, sed etiam utendi fruendique, &, quod maxime notandum est, possidendi ius, quod

amiſſa etiam actuali & phyſica poſſeſſione non amittitur, & in alium transferri poteſt. Ridiculum autem me, quod aliquam maris partem forte diu claſſe tenuerim, ita occupaſſe, ut omnes alios etiam poſtquam ab ea diſceſſerim a navigatione & piſcatione excludere poſſim, cum vix indicare ceteris facultas ſit quam maris partem a primaeva communione removerim, dominiumque affectem in iis aquis, quae momento temporis fortaſſe immutatae ſunt, nulliſque terminis contineri potuerint. Qui igitur partem maris navigio vel retibus occupat ab iis non differt populis, qui in vacuae terrae ſylvas pecudes ad paſcua agunt, qui tamdiu ceteros ab uſu ſylvarum arcent, quamdiu pecudes ſylvas & prata depaſcunt; claſſe enim aut retibus ab unda maris amotis, mare ipſum id eſt, quod primitus a Natura proditum fuit, atque adeo nullum humanae induſtriae veſtigium aut indicium praeſeferens ad primaevam communionem redit. Nec mare igitur univerſum, nec magna pars maris vaſti a terris diſſita dominii capax eſt, atque adeo regulae ſupra poſitae, quae

rerum communium ufum moderantur, eaedem & maris ufum regunt.

Hactenus de vafto mari fub generali nominis fignificatione diximus. Si autem quaeritur an aliqua pars maris, quae littoribus meis circumfunditur, aut quam territorium meum undequaque ambiat dominio & Imperio meo fubiici poffit, id fieri poffe concedimus; habita enim partium ratione ea omnia fere argumenta, quae contra univerfi maris dominium adduximus, corruunt omnino. Nam quae pars maris territorio meo includitur, ut finus aut fretum, ita iactis molibus munimentis faepiri, & humana coerceri induftria poteft, ut eius non ambigua veftigia praefeferat, & a communione fublatam manifefte appareat.

Huc accedit quod eiufmodi partis non inexhauftus ufus quod praecipue ad pifcationem adtinet, nec innoxia multoties per eas aquas, quae undequaque territorio meo continentur, aut illud alluunt, ceterarum Gentium navigatio: quapropter has maris partes dominio & Imperio fubiici poffe non ambigendum tum utilitatis, tum fecuritatis gratia, tum quod humano labore fi

non qua aqua marina, ſaltem qua ſinus, aut fretum, vel qua aqua territorio meo incluſa a primaeva quodammodo communione ſubtrahitur, ut de fluminibus & lacubus territorio meo incluſis diximus (1).

Eo pacto facile Scriptorum conciliantur ſententiae, & ſub generali ſignificatione commune omnium hominum mare dicimus, ſub ſpeciali autem ſub Imperio & dominio eſſe poſſe, ut apud multos populos revera eſt nemine contradicente, ut ecce, Helleſpontus, Propontis, Boſphorus Thracicus, Fretum Sundicum, & olim

---

(1) *Vid.* Pufend. *Lib.* 4. *Cap.* 5. §. 8. 9. 10. Grot. *Lib.* 2. *Cap.* 2. § 2. 3. *et* 13. *At non defuerunt qui Romani Juris regulas ad Jus Gentium traducentes aſſeruerunt nec exiguam maris partem nec littora ipſa occupari poſſe. Supra monuimus quam a vero aberraverint circa Dominii naturam, et quam incongrua ſit apud eos rerum diviſio, quae omnia huc revocare inutile. Exinde tamen patet in quos labantur errores qui arbitrantur ſe poſſe ex inſtabili et turbida Romanorum doctrina regulas ducere, quibus dominia, poſſeſſiones, et alia Gentium iura dimetiantur.*

Mare nigrum, ſive Pontus Euxinus, Boſphorus Cimmerius, & Palus Maeotis (1); quamvis enim nonnulli ſinus vaſtas complectantur aquas, quarum uſus fortaſſe inexhauſtus, attamen facto ipſo privata fiunt maria illius Gentis, cuius territorium per littus omne excurrit cum ad officia humanitatis, non ad abſolutas obligationes pertineat Imperantis, tranſitum innoxium per territorium impertiri. Nulla igitur unquam fuiſſet inter viros clariſſimos de dominio & imperio maris controverſia ſi ab ipſa maris & dominii definitione ordiri voluiſſent, & veritatis inveſtigandae amore, non partium ſtudio (2) correpti ſcripſiſſent.

---

(1) *In publico enim Cainargiano foedere inter potentiſſimas Gentes Ruſſos, et Turcas prope Siliſtriam percuſſo* 10. *Jul.* 1774. *Tartari, qui Boſphorum, paludem, et pontum accolunt a Turcarum Imperio divulſi ſunt, et autonomi liberique declarati, arces vero* Kerci, *et* Jennicalè, *quae Boſphoro dominantur, Ruſſorum ditioni et Imperio ſubiectae. Vid. Art.* 2. *et* 19.

(2) Primus Hugo Grotius *Romanorum doctrinis fere omnino inhaerens de Maris*

Quatenus tamen Imperium & dominium Gentis circa littus in mare porriga-

---

libertate ex professo egit in suo peculiari Tractatu, cui titulus Mare liberum, seu de iure quod Batavis competit ad commercia *ann.* 1609. *Occasionem viro clarissimo scribendi dedit ius dominii, quod sibi proprium arrogabant praecipue Lusitani, in mare quo ad Indos navigatur, a cuius aquis ceteras omnes Gentes arcere satagebant. Liberum mare, libera populorum omnium inter se commercia asseruit, & quamvis dominio subiici posse & diverticula maris, & freta, & sinus alicubi innuat, non tamen id adeo clare & perspicue docet, ut populis qui mare accolunt omnino placuerit. Sibi igitur quisque metuit de dominio & imperio sui maris solicitus. Inde immensa Scriptorum turba vel Patriae amore, vel ineundae Principum gratiae, vel lucri captandi studio de dominio maris prolixas edidere tractationes; hoc enim solemne est plerisque Jurisconsultis ut sanctae professionis auctoritatem non ad rationes & leges, sed ad gratiam conferant potentiorum. Suos igitur omnes maris accolae habuerunt defensores,* LUSITANI Seraph. De Freitas *De Iust. Imper. Lusitan. Asiat. advers.* Grot. *Mare liber.* BATAVI *memoratum* Grotium, M. Zuer. Boxhornium *Apolog. pro Navigat.* Martin. Schoo-

tur & pateat diverfae funt Jurifconfultorum fententiae (1). Nobis vifum eft fingulas

---

Schookium *Jus & Imper. Maritim.* BRITANNI Joann. Seldenum *Mar. clauf. & in Vindic. maris claufi contra* Grafwinkelium. Corn. Van Bynkershoek *De Domin. Maris*. Guil. Welwoodum *De Domin. Maris*. John Borougs Souveraignity of the british feas. VENETI Paulum Sarpium Del Domin. del Mar. Adriat. Francifc. de Ingenuis *Epift. de Jurifdict. Reip. Venet. in Mare Adriat.* Joann. Palatium *Leo Maritim.* SVEVI Joann. Wegelin *De Domin. Mar. Svevici*. LIGURES Petr. Baptift. Burgum *De Domin. Reipub. Genuenf. in Mar. Liguft.* *ut ceteros omnes praeteream Scriptores minoris notae qui vel* Grotio, *vel* Seldeno *adhaeferunt. Ii tamen omnes, quos fupra memoravi, non veritatem inquirunt, fed caufae inferviunt opportunitati futilia multoties, & puerilia argumenta proferentes quandoque a S. Bibliis eruta, quandoque etiam a fabulofa hiftoria deducta, quos tamen poftquam attento animo perlegeris quid tibi de tanta controverfia ftatuendum fit vix intelliges.*

(1) *Vid.* DD. *ad* L. *Infulae* 9. *ff. De Judic.* Bartol. *in Tractat. De Tiberiad. ftatuit intra centum millia paffuum patere iurifdictionem eius qui Littoribus imperat.* Bodinus

Gentes eam maris partem circa littus ſuum occupare poſſe, cuius uſus neceſſarius, quamque tuendis littoribus & territorio neceſſariam arbitrantur iuxta ea quae diximus Cap. 2. §. 1. Coroll. 4.

At cum difficile ſit actualem maris uſum, & utendi neceſſitatem longe a littore exteris Gentibus certis ſignis indicare, fere inter omnes convenit Gentes, ut mare circa littus eatenus occupatum intelligatur, quatenus ad littus accedentes tormentis bellicis ad oras maris poſitis arcere Gens poſſit.

§. 9. *Conſectaria*.

1. Quae igitur Gens maris vaſti, nec littoribus ſuis proximi, nec terris ſuis vel infuſi vel concluſi uſu ceteros expelleret

---

De Rep. Lib. 1. *Cap.* 10. *iuriſdictionem coarctat ad ſexaginta millia paſſuum* „ Iure quodammodo Principum omnium maris accolarum communi receptum eſt, ut ſexaginta milliaribus a Littore Princeps legem ad littus accedentibus dicere poſſit, atque id iudicatum eſt in cauſa Ducis Allobrogum „ *Vid.* Paul. Sarpium Domin. del Mare Adriat. *Script.* 3. *Tom.* 4. *Oper. p. m.* 362.

iniuria ageret, & iuſtam belli cauſam praeberet.

2. Quapropter nemo eſt qui noſtris temporibus aſſerat iuſtum olim ſibi arrogaſſe dominium maris vel Venetos (1), quod ad Adriaticum Sinum, vel Luſitanos quod ad Indiarum maria; quamvis fatendum ſit Venetos haud immerito olim & tributa nonnulla impoſuiſſe, & legem dixiſſe iis, qui per Adriaticum mare navigare vellent, quandoquidem ſoli ſumptuoſiſſima & potentiſſima claſſe a piratarum incurſione eius maris aquas tunc temporis tuebantur. Nullum tamen exinde privatum dominium, nam quamvis ſinus aliquis dominio privato & Imperio ſubiici poſſit,

---

(1) *Praeter ſupra memoratos Scriptores, qui de Venetorum dominio in Mare Adriaticum ſcripſere vid.* Joann. Bapt. Valenzolam, Laurentium Motinum, Seldenum *Mar. clauſ. Cap.* 16. *Lib.* 1. *ceteroſq. quos citat tam* Sarpius, *quam* Franc. De Ingenuis *ll. cc. Vid. Allegat.* Corn. Frangipanis *inter Opera* Sarpii *Tom.* IV. Giannone *Hiſtor. Regn. Neapolit. Lib.* 13. *Cap.* 1. *in Addition. de Dom. Maris Adriat.* §. 1. & 2.

attamen id fieri nequit niſi territorio tuo circumfuſas aquas omnes concludas, quod tamen a Venetis nunquam factum eſſe legimus; eius enim maris aqua praeter Venetias, Hiſtriam, & Illyricum, Picenum etiam, Galliam togatam, Aprutium, Apuliam, & Salentinos alluit, in quas Provincias ullum nec eſt, nec fuit eodem tempore Venetorum Imperium (1).

3. Cum actus merae facultatis praeſcribi nequeant, & ius ad uſum maris vaſti ſit omnium Gentium commune, ſequitur nonniſi per tacitum aut expreſſum conſenſum Gentem iuri ſuo renunciare poſſe. Ea ratione inter Europae Gentes Pacta inita ut una vel altera a navigandis nonnullis aquis abſtineret (2).

---

(1) *Huiuſmodi obiectionem diluere fruſtra conatur cit.* Paul. Sarpius Del Domin. del Mar. Scritt. 3.

(2) *Vid. vetera exempla apud* Grotium *Lib.* 2. §. 15. *recentiora autem apud* Dumontium *Corps univerſ. Diplomat. & apud* Raynalium *paſſim* Hiſtoir. philoſoph. & Politiq. des Etabiiſſ. des Europ. dans les

4. Cum freta occupabilia dicimus proprie dictas maris angustias intelligimus, non eas maris partes, quae improprie freta di-

---

deux Ind. *Austriaci Principes non multis ab hinc annis Navigationi per maria Indica renunciarunt in Tract. Vienn.* 16. *Mart.* 1731. *Art.* 1. & 5. *Idem fere quamvis non tam explicite factum fuerat in Tract. Monasteriensi* 30. *Jan.* 1648. *Art.* 3. *inter Hispanos & Belgas foederatos; eo enim statutum fuerat Hispanos Navigationem exercituros eo pacto, quo tum eam exercebant per Indica maria, nec ultra progressuros. Eo foedere innixi sunt Belgae contra Carolum VI. cum anno* 1722. *societatem Ostendae ad amplificationem Commercii Indici constituere satagebat. Diu utrimque disceptatum est, & tandem controversiae finis impositus per publicum Viennense Tractat. anni* 1731. *Vid.* Mably Dr. pub. de l' Europ. *Tom.* 2. *pag.* 266. *Cap.* 10. *Sect. et Cap.* 12. *Art.* 1. *pag.* 341. *Vid.* Jo. Barbeyrac. Defense du Droit de la Compagn. des Ind. Oriental. contr. les nouvell. pretens. des habit. des Pays bas. Abr. Westerween. *Dissertat.* 2. *de Jur. quod competit Societat. privilegiat. foeder. Belg. ad Navigat. et commerc. Indiar. Oriental. contra quos scripsit* P. Mac. Neny Vindicias *advers. Batavos pro societat. Ostendae.*

cuntur, & a mari vaſto vel longitudine, vel latitudine non differunt, ut Magellanicum vel Hudſonicum fretum.

5. Cum autem fretum utrimque pateat, ſi ad vaſta maria aditum praebeat a freti domino tranſitus innoxius non impediendus; quae Gens enim & se ſervare & perficere, & res & operas cum aliis Gentibus communicare Natura iubente debet, eadem & per fretum tranſire, & mercatura res ſibi neceſſarias quaerere ius habeat oportet (1). Sed de innoxio tranſitu alibi.

6. Si tamen freti cuſtodia ſumptuoſa ſit Imperanti, vel quod navigationem armata claſſe tueatur, vel iuvet aut nocturnis ignibus, aut brevium ſignis in mare aedificatis, portorium aliquod aut vectigal aequum a navigantibus iure exiget; aequum enim eſt ut ſumptus in alienam utilitatem facti eorum quorum intereſt impendio reparentur:

---

(1) *Vid.* Grot. *Lib.* 2. *Cap.* 3. §. 12. Henr. *et* Samuel. Cocc. *ibi*. Pufend. *Lib.* 5. *Cap.* 5. *et ibi* Jo. Barbeyr.

cuius vectigalis complurima & recentiora exempla extant (1).

7. Quemadmodum maris portio littori circumfusa occupari potest a Gente, quae adiacens mari territorium dominio publico subiecit, nil obstat ut & pars occupati maris quod ad eius utilitates publica interveniente auctoritate privatim vindicari possit, quod olim factum esse legimus non tantum de Piscinis maritimis, sed & de aestuariis, & de maris vestibulis & receptaculis, sive maris parte septis inclusa & ad privatorum dominium pertinente (2).

---

(1) *Complurima veterum vectigalium exempla afferuntur a* Grotio *Lib.* 2. *Cap.* 3. §. 14.

(2) Vid. L. 13. *&* 14. *ff. de Iniur. Novell.* Leonis 57. *in qua septis quibusdam remoratoriis, quas* ἐποχάς *Graeci vocant, constituuntur fines trecentorum sexaginta passuum. Nov.* 102. 103. *&* 104. *eiusdem* Leonis, *in quibus diversae remoris piscatoriis dicuntur Leges. Sic* Lucullus *exciso apud Neapolim monte ad villam suam maria admisit, ad quem morem respexisse Martialis videtur, cum de Formiano Apollinaris cecinit Lib.* 10. *Epigr.* 10.

8. Maris pars quam Gens occupavit veluti eius territorium habetur, atque adeo eſt in eius imperio & dominio: quapropter quiſquis in mari verſatur occupato ſive indigena, ſive peregrinus ſit imperio Gentis ſubiicitur, Legibuſque Imperantis tenetur, quibus vel cives generatim, vel praeſertim perſonae & res maritimae reguntur; fieri enim poteſt ut diverſae Leges actiones hominum qui in mari occupato degunt, moderentur, & graviori poena coerceantur delinquentes in mari, quo fuga facilior, & evitabilior poena.

9. De Naufragiis alibi (1) diximus. Illud hic adiiciendum ex Imperii vi & poteſtate nullo pacto deduci poſſe res nau-

---

Si quando Nereus ſentit Aeoli regnum
Ridet procellas tuta de ſuo menſa.
Vid. Plin. *Lib.* 9. *Cap.* 15. *& Lib.* 21. *Cap.* 6. Columell. *Cap.* 16. 17. Varro *de re ruſt. Lib.* 3. *Cap.* 17. Aeſtuaria *erant effoſſi lacus, in quos admittebatur mare, dein cataracta quoties libuiſſet claudebantur.* Plutarch. *in vit.* Luculli. Valer. Maxim. *De* Sergio Orata *Lib.* 9. *Cap.* 1.

(1) *P.* 1. *Cap.* 9. §. 2. *in fin.*

fragas esse Fisco addicendas, quamvis apud multas Gentes olim mos (1) invaluerit ut de re tam luctuosa Fiscus compendium sectetur: hodie tamen a calamitoso illo barbaroque quaestu abstinent Gentes fere omnes, & res naufragae tunc tantum Fisco cedunt, aut ei qui occupandi ius habet, cum nulla pristini domini inveniendi spes superest, atque adeo pro derelictis habentur.

---

(1) *Morem istiusmodi, qui olim apud complurimas Europae Gentes invaluit acceptum referendum esse Romanis Legibus censet* Seldenus, *& Rhodiis maxime, quarum una ad naufragia pertinens translata est in Pandect. Tit. Ad L. Rhod. de Jactu, quae* Antonini *Rescriptum continet. Arbitratur enim vir eruditissimus* Antoninum *Pium, & successores Caesares rigorem antiquae Legis vel abrogasse vel temperasse saltem; nam quidquid habetur in Pandectis ut res naufragae serventur pristino domino id tribuendum* Paullo, Callistrato, Ulpiano, *&* Javoleno, *qui omnes post* Antoninum *vixere, quamvis* Javolenus *coaetaneus Caesaris fuerit. Vid. Mar. clauf. Lib.* 1. *Cap.* 25.

CAPUT III.

De Gentis propagatione, ubi de Patria.

§. 1. Qui primi ſociale foedus inierunt non ſibi tantum proſpexiſſe, ſed praeſenti futuraeque familiae, tamquam ſuimetipſorum parti conſulere voluiſſe praeſumuntur, quod quidem ex ipſius Civitatis conſilio & obiecto deducitur; illud enim diu aſſequi nullo pacto fas eſſet, ni Civitas per quamdam ſucceſſorum perpetuam ſeriem reviviſcat, & in eodem quaſi permaneat ſtatu. Quae autem Civilis Societas quae in dies langueſcat, & unius aevi ſpatio in praeceps ruat? Ex ipſa igitur Civitatis natura Civium filii ad Civitatem pertinent & in ius patris ſuccedunt a patre ipſo iis quaeſitum. Itaque ſobole propagatur, creſcit, augetur Reſpublica, & Civitas a parentibus ſola generatione tranſmittitur filiis (1), nulla habita

---

(1) Nec intereſt an legitimus ſit filius

loci nativitatis ratione, dummodo parentes jure Civitatis fruerentur.

Quaproter inutile omnino quaeritur an qui a parentibus civibus nati sunt vel in mari occupato aut libero, vel extra territorium veluti Cives & indigenae censendi sint; si enim Cives nostri licet extra terri-

---

aut spurius, vel vulgo quaesitus; si enim pater incertus, filius conditionem matris sequitur, quod & Legibus Romanis recentioribus, & moribus Gentium est constitutum. Quapropter impense laudandus Justinianus *qui rigorem veteris Juris temperavit, & spurios & illegitimos filios, quos alienum quid a Republica existimabant veteres, ad eam pertinere voluit, & eiusdem iuris communione frui, ratus inhumanum esse a societate reiicere, quos Parens omnium Natura in Reipublicae sinu produxerat, atque adeo & confirmavit & extendit eas Leges, quae illegitimos filios ad Civitatis admiserant iura Nov.* 89. *Cap.* 1. *qua non tantum confirmavit L.* 29. §. 1. *ff. De inoffic. Testam. L.* 8. *Cod. De Natural. lib. L.* 2. *C. Qui petunt Tutor. L.* 5. *Cod. Quand. mul. Tutel. off. L.* 4. & 8. *ff. Unde Cognat. sed & novis etiam privilegiis naturales liberos cumulavit, & communia ipsis esse Civitatis iura edixit.*

torium pofiti ad Civitatem pertinent, & filios etiam ad eamdem Civitatem pertinere non ambigendum.

Ad Civitatem autem pertinent Cives extra territorium pofiti donec iuri fuo aut tacite aut expreffe renunciaverint. Tacite vero renunciat quis cum alio facto & animo domicilium transfert; diuturna enim in alieno territorio Civis commoratio ftudiorum, valetudinis, commercii, militiae caufa renunciationem non arguit, nifi fecus patriis Legibus fit conftitutum.

Si quis igitur in alieno territorio moratur, non civis non indigena, fed incola dicitur aut peregrinus, eiufque filios Patria quafi Cives fibi vindicat; Patria enim juxta primigeniam nominis fignificationem territorium Gentis illius dicitur, cui politicae Societatis vinculo parentes obftringuntur, quamvis vulgari fermone territorii pars, in quo parentes habuerant ftabile domicilium, filii *Patria*, Societas autem univerfa, ad quam parentes pertinent, eius *Natio* dicatur.

§. 2. *De Civitatis acquifitione derivativa.*

Si quis tamen alio domicilium transferat

animo (1) ibi perpetuo commorandi, vel quid admittat, quo iure Civitatis in poenam privetur, novam Civitatem, novamque Patriam sibi comparare potest in alieno territorio, si Gentis ad quam confugit Leges & instituta id permittant. In multis Europae provinciis mos invaluit, ut simplex habitatio animo permanendi post certum

---

(1) *Cum tamen difficile sit ab externis tantum factis peregrini, vel novae incolae animum colligere & interpretari, fere ubique Leges constituunt intra quod temporis spatium animus praesumatur, ut quis ex incola, & peregrino* indigena *vel Civis fiat. Quae igitur abunde differuntur ab Jurisconsultis circa Domicilium sunt potius eiusmodi Legum interpretationes, quam regulae a ratione & naturali Jure deductae, quae peregrinis & incolis in genere aptari possint, ut ad novae Civitatis iura admittantur; nam quamvis aliquando fortasse manifeste colligi possit ab externis indiciis eum de quo agitur Patriae suae renunciasse; non tamen exinde patet in nostram coire voluisse Societatem, simplex enim habitatio & permansio in alieno territorio, licet diuturna, animum novae ineundae Societatis nec perspicue, nec necessario significat.*

temporis ſpatium domicilium, atque adeo *ius indigenatus*, ut aiunt, pariat. Cuique tamen Genti ſuae ſunt Leges circa advenas & indigenas, quarum ratio praecipue habenda cum de ſtatu hominis quaeſtio ſuboritur (1).

§. 3. *De Amore Patriae.*

Si amor & benevolentia erga omnes praecepta, ſi in praeſtatione officiorum praeferendi qui praecipuis nos devinxerunt beneficiis, vix ambigendum puto Patriam prae ceteris omnibus Gentibus diligendam, iisque praeferendam in colliſione officiorum, tum quod ei praeſidia fere omnia vitae fortunaeque noſtrae debemus, tum quod nemo poſſit eſſe beatus ſi Patria oppreſſa & miſera ſit. Cum igitur amor nil aliud ſit quam alienae felicitatis deſiderium, cœco quodam impetu in Patriae dilectionem rapiaris oportet, quandoquidem cum tua ipſa beatitudine Patriae felicitas tam arcto vinculo coniungitur.

---

(1) *Vid.* De Real. Droit des Gens *Cap.* 7. *sect.* 1. *pag.* 527. *& ſeqq.*

§. 4. *Quis modus esse debeat in diligenda Patria.*

Cavendum tamen est ne Patriae amor in furorem quodammodo convertatur, & ita Civium animos pervadat, ut omnia in ceteros homines licita (1) arbitrentur, quae Patriae gloriam, opes, potentiam augere possunt; non enim Patriae tantum sed hominum omnium causa generatos esse homines constat, ut mutuis officiis communem omnium conciliationem colant, servent, tueantur.

Optimum Civem dixeris, qui ita se Patriae suae devovet, ut in officiorum collisione eam perpetuo praediligat, in ceteris non tantum Patriae, sed totius humani generis propositam habeat felicitatem, quo enim latius patet beneficentia hominis eo maiori virtute fulget, eamque praeclaram & pene divinam dixeris, quae non ad Ci-

---

(1) Sunt enim quaedam tam foeda, *inquit* Cicero *De Off. Lib.* 1. *Cap.* 45. ut ea ne conservandae quidem Patriae causa sapiens facturus sit.

ves tantum, ſed ad univerſum extenditur genus humanum.

§. 5. *De Emigratione*

At quamvis Patria officiis omnibus praeſtet, quaeſitum tamen eſt an Civi ius ſit e Civitate in perpetuum diſcedere venia a Sociis, ſive a Summo Imperante non impetrata, aliamque ſibi adſciſcere Patriam. Nos id licere dicimus iiſdem innixi principiis, quae ſupra (1) de eadem re differentes ſtatuimus, dummodo ſocietatis non interſit; nam quamvis ad indefinitum tempus civilis contracta fuerit ſocietas, attamen in id conſenſiſſe praeſumuntur omnes a nemine ſingulatim, ceteriſque invitis dirimendam, ſi ex ea diſceſſione ſocietas detrimentum patiatur (2): ſi ſecus, cuique libera eſt de

---

(1) P. 2. Jur. noſtr. Cap. 15. §. 6. *n.* 8. & 9. *Concord. L.* 12. §. 9. *L.* 5. *L.* 36. *ff. De Captiv. & Poſtlim. Argum. L.* 171. §. 2. *ff. De Cond. & demonſtr.*

(2) Vid. L. 65. §. 5. *ff. Pro Socio. Opportune* Grotius *Lib.* 2. *Cap.* 5. §. 29. *n.* 2. Intereſt autem Societatis civilis non abire civem ſi magnum contractum ſit aes alienum

ſua Civitate ſtatuendi facultas (1), & ſui quemque iuris & retinendi & dimittendi eſſe dominum libertatis fundamentum merito dictum eſt (2), niſi tamen fundamentalibus legibus in ipſo ſociali contractu vel poſtea latis vetitum ſit inconſulto & invito Imperante Patriam deſerere (3).

---

num, niſi paratus ſit Civis in praeſens partem ſuam exſolvere: item ſi fiducia multitudinis bellum ſit ſuſceptum, praeſertim ſi obſidio immineat, niſi paratus ſit civis ille alium aeque idoneum ſubſtituere, qui Rempublicam defendat = *Vid.* De Real. Dr. Des Gen. *Cap.* 7. *Sect.* 1. §. 13. Wicquefort *in Lib. cui titulus* L'Ambaſſad. & ſes fonct. *Lib.* 1. *Sect.* 11. *pag.* 117. = C'eſt à quoi les Etats de Hollande ont regardé, quand ils ont ordonné que les habitans de la province, qui iroient s'établir dans une autre pendant la Guerre continueroient contribuer aux frais tant qu'elle dureroit =

(1) *Vid. cit.* Wicquefort. Memoir. touch. les Ambaſſad. *pag.* 41. *& ſeqq.*

(2) *Vid. cit. L.* 12. §. 9. *ff. De Capt. & poſtlim.*

(3) *Apud multas Gentes vetita emigratio, ut apud Sinenſes, Japonenſes & olim Ruſſos. Vid. laud.* De Real. *l. c.* §. 9. *Facultas*

Si tamen ſociale pactum erga aliquem ſocium vel ſociorum partem violaverint reliqui, quin licita ſit eorum a Patria diſceſſio nulla etiam habita aut legum, aut detrimenti ratione vix dubitandum; qui enim primus datam fidem non ſervat alterum a contracta liberat obligatione. Si igitur alicui in Civitate aut vitae ſervandae, aut ſe perficiendi ratio non ſuppetit, ſi nullum eſt adverſus iniuriam praeſidium, ſi Reipublicae

---

diſcedendi a Civitate reſtricta a Sabaudiae Duce Cod. Victor. anni 1721. *Lib.* 4. *Cap.* 3. *Art.* 1. *&* 2. *& a* Carolo *VI. Caeſare quod ad Bohemiae Regnum Edict. ann.* 1732. *Quin multi diſceſſionem a Patria quaſi delictum graviſſimis poenis coercendum cenſuerunt. Eiuſmodi exempla tam vetera quam recentiora videnda apud* Bodinum *De Rep. Lib.* 1. *Cap.* 6. *Nuper nos docet* Philipp. Friſius *Diſſertat. De Imper. & Juriſdict. Cap.* 2. §. 12. *pag.* 54. *in Ducatu Mediolanenſi ſeveras poenas tum municipali Lege, tum Principum Reſcriptis in emigrantes conſtitutas eſſe. Apud Gallos non multis ab hinc annis emigrantes publicatione bonorum deterriti Edict.* 1669. *&* 1685. De Real. *l. c.* §. 7. *& ſeqq.*

forma immutatur, si civilis libertas sublata, uno verbo si sociale foedus infractum jam dissoluta & extincta societas, & cuique ius est alio emigrandi (1).

Attamen cum aliquando Princeps vi adhibita emigrationi impedimentum afferre posset nonnullibi ius emigrandi Legibus fundamentalibus est constitutum publicisque firmatum foederibus (2). Si alicubi haec constituta non sunt ius emigrandi a concessione Principis pendet, quod si vetet, nulla intercedente iusta causa, iniuria agit.

§. 6. *De exulibus, proscriptis, & relegatis.*

Ex ipsa emigrationis causa & indole

---

(1) *Vid.* Hutcheson. A Sistem of moral Phil. *Lib.* 3. *Cap.* 11. *n.* 3. *Art.* Certain changes of polity free such as dissent.

(2) *Vid. Art.* 5. §. 35. *& seqq. Pacis Osnabr.* Cocc. *ad* Grot. *Lib.* 2. *Cap.* 5. §. 24. Wattel *Dr. des Gens Lib.* 1. *Cap.* 9. *pag.* 88. *Hamburgi cuique emigrare licet dummodo decimam bonorum partem Magistratui solvat. Neocomi ius emigrandi est Legibus fundamentalibus constitutum. Idem sancitum est apud Anglos art.* 52. *eius fundamentalis Legis, quam* Magnam Chartam *vocant.*

ſequitur ius civitatis amittere emigrantes, qui & exules voluntarii merito nuncupari poſſunt, in quos nullum eſt amplius ius Imperantis ſtatim ac recepti ſunt in exilium, hoc eſt in aliam civitatem (1); exilium enim non ſemper cum infamiae nota coniungitur, quae non aliunde quam a delicto naturaliter ortum ducit, & nomen ipſum multoties potius eſt calamitatis, quam turpitudinis.

Exules autem legitimi ii ſunt, qui in poenam admiſſi criminis a civitate eiiciuntur vel in perpetuum, vel ad certum tempus, quorum ſi & bona publicantur dicuntur *proſcripti*. Differunt autem ab exulibus legitimis *relegati*, quod illi a Territorio Gentis expulſi ſint, illis vero vel certus locus interdicitur, vel Inſula adſignatur, aut certa provincia, ut eo quaſi vinculo

(1) *Litterae, quas dicunt* avocatorias, *Cives peregrinantes aut alibi commorantes reſpiciunt, non eos qui ſtabile alibi poſuerunt domicilium, quique adeo ad Civitatem amplius non pertinent.*

includantur damnati : exules igitur ius Civitatis amittunt saltem quod ad eos actus, qui Civis, non hominis sunt, relegati vero ad Civitatem pertinent quippe qui ab universali societate, quae proprie dicta Civitas est non eiiciuntur (1).

§. 7. *De exulibus metu poenae*.

Quamvis autem per se voluntarium exilium nec supplicium sit, nec cum infamia coniunctum, sed quandoque calamitatis & infortunii perfugium, attamen si quis solum vertat ut poenam admissi criminis subterfugiat, & vincula, neces, ignominiasque, quae sunt Legibus constitutae, vitaturus in exilium quasi ad aram migret, non omnis in eum ius Gentis suae extin-

---

(1) *Concord. L.* 4. *&* 7. *§.* 3. *ff. De Interdict. & relegat. L.* 27. *ff. Ad municip. & de incol. Vid.* Anton. Matth. *ad Lib.* 68. *Digest. Tit.* 18. *n.* 10. *Differebant inter se iure Romano interdicti, relegati, deportati. Primi interdicebantur aliqua urbe vel provincia, alteris assignabatur certus locus, deportatis autem assignabatur quidem certus locus sed cum civitatis & bonorum amissione.*

guitur, de qua re dicturi ſumus cum de peregrinis agemus:

§. 8. *De receptu exulum.*

Quaeſitum eſt an exules vel voluntarios, vel legitimos Gens recipere poſſit ſine eius populi, a quo migrare volunt, iniuria, & viſum eſt licite poſſe; humanitatis enim officium eſt ſedibus ſuis expulſis receptum non denegare, & ab uſu urbis peregrinos extorres non prohibere, nam licet exules legitimi ſint, & in poenam criminis in exilium acti, attamen miſericordiam merentur, tum quod ius illis eſt alicubi ſedem & habitationem ponere, tum quod ipſum peccare quadammodo infortunium ſit, tum quod denique reus in alieno territorio non habetur qui apud aliam Gentem crimen admiſit (1).

§. 9. *De Jure exulum ad receptum.*

Cum tamen emigrantes benigne recipere humanitatis officium ſit, novas ſedes

---

(1) *Vid.* Grot. *Lib.* 2. *Cap.* 2. §. 16. & *Lib.* 3. *Cap.* 20. §. 41. *et ibi Not.* 1. Pufend. *Lib.* 3. *Cap.* 3. §. 10.

quaerentibus poterit Gens, si iusta sit causa & si id expedire publicae saluti censuerit, eas denegare; nam quamvis exulibus & peregrinis alicubi commorandi, stabilemque etiam ponendi sedem sit ius perfectum, non tamen hanc vel illam terrae partem occupatam, violato communi hominum iure, sibi vindicare possunt. Receptus igitur ab ipsis petendus, & si denegetur quaerendus alibi, nec vis adhibenda nisi extrema urgeat necessitas, qua una privata hominum dominia, & inde derivantia iura suspenduntur (1).

---

(1) *Vid.* Cocc. *ad cit.* §. 16. Grot. *ubi plurima affert exempla Gentium, quae receptae Rempublicam perturbarunt.*



CAPUT IV.

De officiis Gentium erga alias.



§. 1. *Principium generale.*

Homo homini in primaevo Naturae ſtatu debet quod ipſe ſibi niſi officium erga alium cum officio erga ſe ipſum collidatur. Eadem regula Gentium officia inter ſe moderatur & dimetitur, non enim quod homines in peculiares ſocietates coierint ad felicitatem conſequendam humanitatem exuiſſe dicendi ſunt. Societates quidem diverſae, idem tamen omnium obiectum, iidem homines ſunt, atque adeo populus populo idem quod homo homini debet.

Si quis Civium habendam eſſe rationem, externorum negaret, hic naturalem omnium hominum ſocietatem dirimeret, & beneficentiam, liberalitatem, bonitatem, iuſtitiam funditus everteret, quae Virtutes ad homines univerſos, non ad Cives tantum referuntur.

Quod ſi Civilis foederis ea ſit vis ut homines a totius generis humani ſocietate quaſi divulſi ita ſe Civitati devoveant ut omnia Civibus nihil ceteris hominibus ſe debere arbitrentur, ſibi adverſantes Leges conſtituiſſe Naturam dicendum eſt, quae & ad univerſalem beneficentiam, & ad civilem homines impulit ſocietatem, quod eſt abſurdum (1).

Itaque ſi huc revocentur quae ſupra de Officiis hominum erga alios, & de officiis Gentium erga ſe ipſas docuimus, quae etiam ſint officia Gentium inter ſe manifeſte patebit; quamvis enim genus humanum ſit in diverſas ſocietates diſtinctum,

---

(1) *Praeclare* Cicero *De Off. Lib.* 3. *Cap.* 6. = Ergo unum debet eſſe omnibus propoſitum ut eadem ſit utilitas uniuſcuiuſque & univerſorum; quam ſi ad ſe quiſque rapiat diſſolvetur omnis humana conſortio. Atque ſi etiam hoc Natura praeſcribit, ut homo homini quiſcumque ſit, ob eam ipſam cauſam, quod is homo ſit, conſultum velit, neceſſe eſt ſecundum eamdem Naturam omnium utilitatem eſſe communem.

non ideo hominum natura immutata, atque adeo inter ſe eadem iura & obligationes niſi quatenus obligationes contractae naturales quandoque vincunt & in colliſione officiorum perfecte potius quam imperfecte debita praeſtantur.

§. 2. *Conſectaria*.

1. Quia iiſdem principiis officia Gentium innituntur quibus officia hominum inter ſe, ſequitur ius ad officiorum exigentiam eſſe imperfectum, praeſtanda enim & non neglectis erga ſe officiis, & ſi populus ea ſine nobis conſequi non poſſit, quae quidem iudicio eius a quo auxilium poſtulatur permittenda ſunt, qui per vim cogi nequit ut noſtrum ſequatur iudicium ſine naturalis libertatis laeſione.

2. Si populus igitur populo neget opem, quam poſcit, iniuriam non facit, iniuria enim iuris perfecti laeſionem ſupponit.

3. Cum hominum iura conſtituat ipſa Natura humana, non eorum fortuitae modificationes, qualitates, externaeque circumſtantiae, officia humanitatis Gentibus univerſis praeſtanda, nulla habita Religionis,

Legum, morum, institutorumque diversitatis ratione (1); quin & hostibus (2) non

---

(1) Complurima afferri possent liberalitatis et beneficentiae exempla ex nostri temporis historia deducta, unde liquido constat Religionis diversitatem impedimento non fuisse ut alter populus alteri opem ferret. Dignus est quem Principes imitentur immortalis memoriae Pontifex Benedictus XIV. *de quo haec narrantur a* Wattelio *Dr. des Gens Lib.* 2. *Cap.* 1. §. 15. „ Ce Prince apprenant qu'il se trouvoit à Civita-Vecchia plusieurs vaisseaux Hollandois, que la crainte des Corsaires Algeriens empêchoit de mettre en mer, ordonna aux Fregates de l'Eglise d'escorter ces vaisseaux, & son Nonce à Bruxelles reçut ordre de declarer au Ministre des Etats Généraux, que S. S. se faisoit une Loi de protéger le commerce, & de rendre les devoirs de l'humanité sans s'arrêter à la différence de la Religion =

(2) Nec desunt eiusmodi magnanimitatis exempla non tantum inter populos publico et iusto bello certantes, sed etiam inter legitimum Principem, subditosque rebelles. Ita in obsidione Parisiorum fame pereuntibus opem tulit Henricus *Magnus, et in praesenti Americano Bello a supremis Militiae Ducibus utrimque praestita ea omnia humanitatis offi-*

deneganda, iis tamen ſervatis Regulis, quae alibi (1) ſtatuimus,

§. 3. *An liceat populo obtrudere beneficium.*

Cum ius ad Gentium beneficia tunc eſſe incipiat in populo cum aliena ope indiget, nec ipſe per ſe id quo indiget conſequi poteſt, & cum poſita etiam verae indigentiae conditione poſſit vi naturalis libertatis exercitio iuris ſui renunciare, nemo eſt qui non petenti aut renuenti & invito per vim obtrudere poſſit beneficium. Conditionalis enim eſt in potentiori populo beneficium praeſtandi obligatio, & conditionis iudex ipſe populus indigens, qui liber, atque adeo a nemine cogendus ut beneficium accipiat, quo vel non indigeat, vel ſaltem carere malit. Libertatem igitur Gentis laedit, qui invitae beneficium per vim obtrudit. Id tamen ſaepe factum eſſe legimus, beneficentiae enim nomine avaritiam & ambitionem potentiſſimae Gentes non

---

cia, quae neceſſarias belli calamitates mitiores efficere, nec tamen hoſtis vires augere poſſunt.

(1) P. 1. Cap. 7. §. 3.

fine bonorum omnium exfecratione multoties praetexuerunt.

§. 4. *De aequilibrio Gentium Europae.*

Illud tamen animadvertendum eft raro admodum fieri poffe ut Gens ita opibus viribufque abundet, ut ceterarum Gentium felicitatem, gloriam, potentiam valido iuvet auxilio fine felicitatis & fecuritatis propriae detrimento, eo magis quod ita beneficia temperet oportet, ne populus alieno beneficio potentior factus ex benignitate fuperbiam fumat, & ingratus effe poffit impune. Periculofum enim eft alienae fidere bonitati & iuftitiae, ni per vim etiam ad iuftitiam colendam cogere poffis reluctantem, & nulla fecuritas adverfus Gentem, quae impune iniufta effe poffit.

Exinde origo aequilibrii potentiae inter Europae Populos, cuius cuftodia licet ad Artem Politicam pertineat, tamen & apud nos, qui Ius Naturae tantum exponimus, non improbanda; cum enim cuique Genti ius fit non tantum iniuriam, fed etiam impendentis iniuriae periculum praecavendi, fi quis populus contra aliorum libertatem quid moliatur, & dominationis inexplebi-

lem cupiditatem manifeſtis indiciis oſtendat, iam publicus hoſtis habetur, & omnia in eum licita ſunt, quibus ad modeſtiam redigatur. Quod ſi ea populi ambitio ab enormi potentia oriatur non ambigendum partem roboris minuendam quaſi ſucci & ſanguinis ſuperfluitatem, qua in furorem convertitur. Nunquam igitur ſatis laudanda Europaearum Gentium cura, quae in publicis foederibus nil antiquius habent quam ut potentiae aequilibrium ſervent, univerſi enim generis humani ſecuritati & tranquillitati conſulunt, quo quidem nihil eſſe poteſt magis ſecundum Naturam, nam quidquid aut iuvandis aut conſervandis Gentibus prodeſt & iuſtum eſt & decorum.

Hoc caſu igitur officia humanitatis omnia & ſuſpendi, & denegari poſſunt & debent, donec populus inſolentior factus ambitionem ponat & ad modeſtiam redigatur.

§. 5. *De Principis liberalitate.*

Quae de beneficentia diximus recte procedunt ſi de Gente ad Gentem ſermo ſit. Si vero Gens ſummum alicui commiſit Imperium, & publicorum reddituum admini-

ſtrationem, is nunquam licite de Gentis opibus diſponet, niſi quatenus publicae utilitati expedire videbitur. Quae virtus in privato homine, in ſummo Imperante quandoque execrabile vitium eſt; ille enim ſuis utitur opibus ex ſententia, hic alienas adminiſtrat, atque adeo earum diſpendium illicitum niſi ad Civitatis finem conſequendum.

Quapropter licet privato homini interdum ſine maximi vitii nota largitionibus uti, nec adamuſſim perpendere cui vel ob quam cauſam largiatur, Principi vero nefas omnino; largitiones enim frequentes, quae fiunt ex redditibus publicis fontem ipſum quodammodo benignitatis exhauriunt, & benignitate benignitas tollitur, qua quo in plures uſus ſit Princeps, eo minus in multos uti poteſt.

Huc accedit quod ſaepiſſime largitiones ſequuntur rapinae, cum enim dando quis egere coeperit alienis bonis manus afferre cogitur. Ita cum benevolentiae comparandae cauſa beneficus eſſe velit non tanta ſtudia (1) aſſequitur eorum quibus dedit,

---

(1) Illud hic loci uſurpari poſſet quod

quanta odia eorum quibus ademit. Aeque tamen avaritia vitanda, qua nullum deterius vitium eſt in Principibus Rempublicam gubernantibus; habere enim quaeſtui Rempublicam non modo turpe eſt, ſed & ſceleratum & nefarium. Uno verbo liberalitas in Principe virtus eſt ſi ad uſum Civitatis pertineat, & publicarum opum diſpendium laudabile ſi aut neceſſe ſit, aut utile.

§. 6. *Gentes non laedendae.*

Quamvis aliquis modus praeſcriptus ſit humanitatis officiis, eaque ſint ex utraque parte conditionalia, atque adeo ius tantum imperfectum pariant, abſoluta tamen ſunt officia Gentium de non laedendis aliis, quod quidem eodem argumento oſtenditur, quo ſupra

---

refert Cicero *De Offic. Lib.* 2. *Cap.* 15. *de* Philippo *Macedone ad* Alexandrum *filium, qui largitionibus benevolentiam Macedonum conſectabatur, ad quem ſcripſiſſe ait* = Qui te, malum, in iſtam ſpem induxit, ut eos tibi fideles putares fore, quos pecunia corrupiſſes? An tu id agis ut Macedones non te Regem ſuum, ſed miniſtrum & praebitorem ſperent fore? =

ſupra (1) iniurias omnes vetitas eſſe inter homines demonſtravimus, Gentes enim haberi poſſe diximus tamquam Perſonas morales in naturali ſtatu viventes.

Non idem iniuriarum obiectum inter Gentes ac inter homines ſingulos, cum non iiſdem perfectio Gentis conſtet elementis; eaedem tamen regulae & Leges Naturae ſupra expoſitae prohibent ne quid a populo admittatur, quod alterius populi perfectionem, quam iam definivimus, vel minuat, vel corrumpat, vel impedimento ſit quominus ea bona, quibus perfectionem Gentis conſtare diximus adipiſcatur.

§. 7. *Conſectaria.*

Huc revocentur oportet ea omnia, quae ſupra diximus de officiis hominum erga alios, & de non laedendis vel contemnendis aliis, qui enim in Civitatem coierunt, ut iam monuimus, non humanitatem exuiſſe dicendi ſunt, atque adeo iiſdem legibus obligantur Civitates, quibus

(1) *P.* 1. *Tom.* 1. *Cap.* 7. §. 4.

homines inter ſe in naturali ſtatu (1). Amor igitur, beneficentia, liberalitas, comitas, manſuetudo, ceteraeque virtutes, quas Natura omnium parens commendavit non abiiciendae poſtquam in diſtinctas Civitates foedus ſociale genus humanum ſeparavit, nam quae regulae bonum malumque morale, iuſtitiam & iniuſtitiam in naturali ſtatu conſtituunt, eaedem ius & iniuriam dimetiuntur inter Gentes habita tantum diſſimilium perſonarum ratione.

Hiſce beneficentiae & iuſtitiae univer-

---

(1) *Praeclare* Seneca *Epiſt.* 48. Haec Societas diligenter & ſancte obſervanda eſt, quae nos omnibus miſcet, & iudicat aliquod eſſe commune ius generis humani. *Et in Lib. De Vita beata Cap.* 31. Duas Reſpublicas animo complectamur, alteram magnam & vere publicam, qua Dii atque homines continentur, in qua non ad hunc angulum reſpicimus, aut ad illum, ſed terminos Civitatis noſtrae cum ſole metimur. *Ad quod fortaſſe reſpiciens* M. Antoninus *Lib.* 6. §. 44. Πόλις, καὶ πατρὶς, *inquit*, ὡς μὲν Ἀντωνίνῳ μοι ἡ Ῥώμη, ὡς δὲ ἀνθρώπῳ ὁ κόσμος. Civitas & patria mihi ut Antonino Roma, ut homini mundus.

talis praeceptis vetus Ius Gentium est emendatum, iis enim olim erant moribus populi, ut alter alterum veluti hostem (1)

---

(1) Quippe veluti hostes habebantur ii omnes, cum quibus nullum esset amicitiae speciale foedus. Vid. Antelog. Iur. nostri Tom. 1. *P.* 1. *pag.* 24. *Not.* 1. *Exinde vulgatum illud* Regi aut Civitati Imperium habenti nihil iniustum, quod utile = Euphem. *apud* Thucid. *Lib.* 6. *atque adeo latrocinari & praedas agere in externos nullo bello indicto non tantum licitum sed gloriosum erat apud antiquos.* Iustin. *Lib.* 43. *Cap.* 3. *quod quidem* Σκυθισμὸν *vocavit* Epiphanius *Lib.* 1. *adverf. Haeref. quia Scythae praecipue eum vagandi & aliena diripiendi morem retinuissent, cum ceteri populi iam ad cultiorem vitam redacti essent. Ceterum eiusmodi mos apud eosdem Scythas, multosque incultos Asiae potissimum & Africae populos etiam nunc obtinet, qui infamem hanc externos diripiendi gloriam persequuntur, ita ut apud eos = Num praedones estis? amica sit interrogatio, ut* Homeri *temporibus fuit* = Ὦ ξεῖνοι τίνες ἐςέ; .... μαψιδίως ἀλάλησθε οἷά τε ληϊςῆρες ὑπεὶρ ἅλλα; O hospites quinam *e*stis? ..... temere erratis tamquam praedones per mare? Homer. *Odyss. Lib.* 3. *v.* 71. *ubi Scholiastes animadvertit* = οὐκ ἄδοξον ἦν.

haberet, & ita Patriae amor univerſalis beneficentiae ſenſum corruperat ut benevolentia & iuſtitia anguſtis territorii limitibus contineretur, ultra quos omnia licita populus arbitraretur, & aequitatem Imperii ſui finibus terminaret.

Vox tandem Philoſophorum ſaepius repetita, & Religio Sanctiſſima vicit, cuius lenitate & manſuetudine emendati ferini populorum mores ſunt, & amor & benevolentia commendata.

Haec quidem humanitatis & iuſtitiae eſſe praecepta inter Gentes vix aliquis negare audeat, attamen quotuſquiſque eſt ex iis qui populorum Rectoribus in miniſterio & conſiliis adſident, qui a laedendis Gentibus abſtineat, ſi id facere poſſit impune, dummodo aliquid emolumenti patriae ſuae afferat? Quin eo progrediuntur nonnulli, ut virtutes ipſas invertant, & verſutiam, fraudem, calliditatem, malitiam

---

παρὰ τοῖς παλαιοῖς τὸ λῃστεύειν, ἀλλ' εὔδοξον = Non tantum infame non erat apud antiquos latrocinari, ſed glorioſum =.

in exteros ſapientiam appellent, ſi iis artibus ea quae velint conſequi poſſint.

Nunquam ſane putavi malis artibus adminiſtrari poſſe Rempublicam, nec diu duraturam felicitatem arbitratus ſum quam calliditates doloſae, & malae artes pepererint; quo enim quis verſutior & callidior habetur, hoc inviſior & ſuſpectior detracta opinione probitatis, atque adeo tandem in praeceps ruat oportet, nec enim aut publica, aut privata proſpera fortuna diu cum multorum odiis conſiſtere poteſt, quod quidem innumeris exemplis oſtendere poſſem, ſi quid utile inter Gentes, non quid iuſtum exponerem (1).

§. 8. *De Commercio Gentium.*

Ex generali principio, unde officia

---

(1) Cicer. *Fragment. ex Lib. De Repub.* Nihil eſt quod adhuc de Republica putem dictum, & quo poſſim longius progredi, niſi ſit confirmatum non modo falſum eſſe iſtud ſine iniuria non poſſe, ſed hoc veriſſimum ſine ſumma iuſtitia Rempublicam regi non poſſe. *Vid.* Mably Introduct. au Dr. publ. de l'Europe.

Gentium inter ſe derivanda diximus, & ex iis quae ſupra *(1)* adnotavimus circa ſuffi·cientiam vitae liquido conſtat commercia inter Gentes non tantum licita, ſed a Naturae Lege praecepta; atque adeo populorum ad commercia inter Gentes exercenda in genere ius eſt perfectum; quibus enim Natura imperat, ut conſervationi & perfectioni ſuae conſulant, iis ius concedat ad omnia neceſſe eſt, ſine quibus & ſe ſervare & perficere nequeunt.

At cum fieri poſſit ut ſibi populus omnino ſufficiat, nec alienae opis indigeat naturale praeceptum ad commercia mutua exercenda, ut ſupra (2) monuimus, hypotheticum eſt, atque adeo ius Gentium ad commercium in ſpecie cum hoc vel illo populo ius eſt imperfectum. Si enim de tuis vendendis ſermo ſit neminem ad emendum coges, cum cuique liberum ſit ſtatuere quid velit acquirere, ſi de comparandis alienis, neminem licite per vim adiges ad

---

(1) *P. III. Cap.* 1. §. 4.
(2) P. III. Cap. 1. §. 4. *Coroll.* 2.

vendendum, cum nescias an aliquid eius indigentiae supersit. Si neget igitur sibi quid superesse quod tibi aequo pretio vendat, aut eius rei indigere, quam ipsi venalem offers, eius id iudicio permittendum nisi naturalem libertatem laedere velis, quod est contra Legem.

§. 9. *Consectaria.*

1. Ius ad commercia in genere est perfectum, ergo si quis impediat, ut Gens quaeque cum quavis Gente seposita commercium colat, iniuriam facit (1).

---

(1) *Exinde patet mercibus transitum non denegandum, interest enim societatis humanae, ut aliarum Gentium copia aliarum indigentiae succurrat, & permutatione rerum invicem totius humani generis amicitia concilietur, nec quicquam damno id est, inquit* Grotius *Lib.* 2. *Cap.* 2. §. 13. *n.* 5. *quam quidem sententiam veterum scriptorum exornat, ut solet, luculentissimis testimoniis. Id nimis laxe, nimisque liberaliter pronunciatum a* Grotio *asserit* Gronovius, *at iniuria quidem, non enim distinguit vir clarissimus ius perfectum ad commercia in genere ab iure imperfecto ad commercia in-*

2. Ius ad commercia in fpecie eft imperfectum: ergo Genti cuique liberum alteri id denegare, fi publicae faluti expedire videatur, fine naturalis Legis laefione.

3. Itaque nemini iniuriam facit qui peregrinas merces in territorium importari non patitur, vel quibus non indiget, vel quae publicae felicitati damnum inferunt, ira tamen, & odio, omnique offenfarum acerbitate depofita.

4. Cum quod imperfecte debitum eft perfecte debitum fieri non poffit nifi per mutuas promiffiones, ius ad commercium in fpecie non acquiritur, nifi per pacta, quae multoties inter Europae populos inita funt (1).

---

fpecie, quippe primum nemo impedire licite poteft, quod merito docet Grotius. *Nec bene ad hanc neceffariam iuris diftinctionem animum advertiffe videtur* Pufendorfius *Lib.* 3. *Cap.* 3. §. 6. *qui difcrepantes utriufque Scriptoris fententias fruftra conciliare conatur.*

(1) *Eiufmodi funt Foedus Londinenfe anni* 1642 *inter Anglos & Lufitanos, ann.* 1661. *inter Belgas foederatos & Lufitanos. ann.* 1668. *inter Lufitanos & Hifpanos, &*

5. Ius igitur precarium ad commercium ſpeciale a pactitio & conventionali ſedulo diſtinguendum; illud enim obtinetur quamdiu is qui conceſſit patitur, hoc eatenus exercetur & patet, quatenus contrahentibus placuit.

§. 10. *De conventionibus Gentium circa commercia.*

Conventiones omnes Gentium circa ius Naturale emendi aliena, ſuaque vendendi, ſive circa commercium licitae, dummodo ius alterius perfectum non laedant, & eo conſilio ineantur, ut libertati Gentium omnium minus quam fieri poſſit officiatur; ad aliena enim comparanda, & ſua aequo

---

ea omnia quae inita ſunt inter Gentes circa commercii iura Ultraiecti ann. 1667. 1713. *&* 1715. *Monaſterii ann.* 1648. *inter Hiſpanos & Belgas foederatos, & ann.* 1647. *inter Hiſpanos & Urbes Hanſeaticas, in quo de Conſulibus conſtituendis actum eſt. Huc referri poteſt Foedus Pyrenaicum ann.* 1657. *inter Gallos & Hiſpanos, Teurnienſe & Badenſe ann.* 1714. *Matritenſe ann.* 1667. *inter Anglos & Hiſpanos &c. Vid.* Mably Dr. Pub. De l'Europ. *Tom.* 2. *pag.* 358.

pretio vendenda cuilibet Genti ius eſt aequale & perfectum, officiumque naturale eſt ut non unius populi tantum, ſed totius humani generis felicitas quantum fieri poteſt promoveatur.

Sed cum in colliſione ut tibi potius conſulas quam alteri Natura iubeat, ſi Reipublicae interſit, nil prohibet quin Gens cum alia Gente paciſci poſſit vel ut merces quaſdam ſibi ſoli vendat, vel eas quibus indiget a ſe ſola certo pretio emat, vel ut commercia in territorio exercere liceat, & cetera eiuſmodi, quae liberam Gentium omnium mercaturam reſtringere videntur. Gens enim utitur iure ſuo (1), nec alicui iniuriam facit, cum ius ad commercium ſpeciale ſit imperfectum. Quod enim fortaſſe ex huiuſmodi conventionibus alter populus alterius lucrum praevertat, damnum tamen non contrahentium culpae, qui iura

---

(1) Eius rei innumera peti poſſunt exempla ex hiſtoria populorum, qui commercii colendi cauſa in orientali, & occidentali India ſedem poſuerunt.

ſua exſequuntur (1), ſed potius infortunio tribuendum, atque adeo non damni vice reputari debet ſi cui lucrum ſperatum, ſed non perfecte debitum decedat. Monopolia igitur Gentium iure Naturae licita, quamvis ob utilitatem publicam in Civitate quandoque prohibita.

Multo magis licebit alicui in alterius populi gratiam ſe obſtringere ne ultra certum terminum naviget, aut mercatum eat, quorum foederum & antiqua & recentia exempla extant complurima (2); neque id Naturae repugnat cum cuique liceat iuri ſuo quomodolibet renunciare.

---

(1) *Opportune* Ulpianus *in L.* 26. *ff. De Damn. infect. multum, ait, intereſſe utrum damnum quis faciat, an lucro, quod adhuc faciebat, uti prohibeatur. Vid. L.* 24. §. *fin. ff. eod. L.* 63. *ff. Ad L. Falcid. non enim operis mei vitio damnum datur in ea re, in qua iure meo uſus ſum.*

(2) *Vid.* Grot *Lib.* 2. *Cap.* 3. §. 15. Gronov. *ad Lib. cit.* §. 13. *n.* 5. *Vid. ſupra Cap.* 2. §. 9. *n.* 3. *Not.* 2.

§. 11. *De officiis Gentium circa Commercia Principium generale.*

Rerum & operarum inter homines & inter Gentes communicatio, in qua maxime externum populorum commercium verſatur Lege naturali praecepta, ergo omnibus impoſita eſt obligatio, ut facilitatem quam poſſunt ad mutua parent Gentium commercia, atque adeo vias publicas ſternant, fluminibus pontes imponant, ad oras, ſinus, portuſque tutum appulſum praeſtent, navigationem tueantur & iuvent, emporia & loca nundinis apta conſtituant, & humani generis mercaturam amplificent & promoveant, ſi tamen id fieri poſſit ſine publicae utilitatis & ſecuritatis diſpendio. Itaque altera Gens alteram non coget ut hoc vel illud commerciorum utilitati praeſtet, alteri enim ab altero per vim exigere beneficium nefas.

Cum tamen nemo gratis dare, quod alter mutua poſſit praeſtatione conſequi, teneatur, licet ſumptus in commerciorum utilitatem factos portoriis & vectigalibus

mercatotibus impositis compensare (1), aequum enim est ut nemo ditior fiat cum aliena iactura. Iusta igitur vectigalia, si non modum causae excedant, nec plus petatur quam impensum est vel impenditur ad mercatorum commodum vel tutelam praestandam (2).

---

(1) *Eius rei multa vetera affert exempla* Grotius *Lib.* 2. *Cap.* 2. §. 14. *n.* 1. 2. 3. *quae apud eum videnda. Adeundus etiam* Alex. ab Alex. *Gen. dier. Lib.* 4. *Cap.* 10. Henr. Cocc. *Dissertat. De viar. publ. iure.* Bodin. *De Repub. Lib.* 6. *n.* 655. Pufend. *Lib.* 3. *Cap.* 3. §. 6. & 7. *qui tamen* Grotium *exscribit.*

(2) *Huc referenda vectigalia quae* Portulanum, & Anchoragium *dicuntur, de quo videndus* Renat. Ios. Valin. *Tom.* 3. *Comment.* sur l'ordonnance de Marin. &c. *Ius* Stapulae & Geranii *de quo* Stipmannus *in Iur. Marit. P.* 5. *Cap.* 2. Wolf. *in Iur. Gent.* §. 227. Pufend. *Lib. cit.* §. 7. & *ibi* Barbeyr. *Not.* 3. Stapulae *ius, germanice* Stapelgerechtigkeit *dictum volunt a germanico* Stapeln, *quod notat merces compingere, licet etiam a* Staffeln, *sive scala aut gradibus deducat* Lehmannus *Lib.* 4. *Cap.* 22. *p.* 366. *Italice diceres* Gius della Scala, o dello Scalo; *stapula*

Cum tamen vectigalis vel portorii quantitas a territorii Domino pendeat, qui iure ſuo uti & abuti (1) nemine contradicente poteſt, hinc multoties ad querelas praecavendas de certis mercium vectigalibus pendendis ſponſiones publicae initae ſunt inter Gentes, quo caſu data fides ſervanda.

---

enim eſt forum, ſeu locus publicus, quo merces exonerandae, & per aliquot dies venum ſunt exponendae antequam alio devehantur. Struv. *Corp. Iur. publ. German. Cap.* 13. §. 21. *Ius* Geranii *vero a verbo* Krahn *derivatum eſt, quod vectem ſignificat. Eo iure gaudent qui vectigaliorum ius habent, nempe ius ponderandi per vectem merces, ne vectigalia fraudentur.*

(1) *Inde exorta acerrima controverſia inter* Eliſabetham *Angliae Reginam & Daniae Regem, quod vectigal nimis grave, & antiquis pactis contrarium mercatoribus impoſuiſſet. Vid.* Cambden. *ad ann.* 1602. *pag.* 892. *Noſtris etiam temporibus relatum eſt Anglos conqueſtos eſſe nimis gravia onera Navigiis Dantiſci portui accedentibus impoſita fuiſſe.*

§. 12. *De Consulibus Commercii*.

Non tantum vero certus vectigalibus publicis sponsionibus praescriptus est modus, sed multa etiam in alieno territorio mercaturam facientibus iura interdum ab ipsius territorii Domino concessa sunt per pacta, & ea ratione libertati, celeritati & securitati commerciorum consultum est, quae quidem iura ex paciscentium voluntate ponderantur.

Ubi tamen & privilegia & iura exteris mercatoribus in alieno territorio concessa sunt mos invaluit ut etiam *Consules* constituantur, quibus mandatum est a Principe constituente ut privilegia subditis suis in alieno territorio mercaturam facientibus sarta tecta tueantur, & lites inter eos mercaturae causa exortas summarie, ut aiunt, & iuxta aequi bonique, aut patrii Iuris regulas vel componant, vel dirimant.

Consulum tamen auctoritatem certis limitibus definire nefas; cum eorum iura tum a Principis constituentis, tum a recipientis voluntate & consensu dimetiri necesse sit: etenim mercatores exteri, & Consules ipsi Iure Gentium Legibus eius

ſubiiciuntur, cuius eſt Imperium territorii, a quibus eatenus eximuntur quatenus Imperanti placuit (1).

Ubi tamen Principi placuit ut in territorio ſuo Conſul ſit, qnaſi privilegiorum Gentis ſuae conſervator & cuſtos, & controverſiarum iudex, certum eſt tacite etiam voluiſſe, ut Conſul Imperio conſtituentis ſubiiciatur in iis omnibus, quae mandati exſecutionem reſpiciunt, in quibus ſubditus eius ſit, cuius iuſſa facere debet, & a quo revocari, Principe etiam territorii inconſulto, poteſt.

In ceteris autem omnibus territorii Legibus tum civilibus tum criminalibus ſubiiciuntur Conſules, nec Miniſtri Publici cha-

---

(1) Quod adeo verum eſt ut plus minuſve privilegiis fruantur Conſules iuxta Principum in quorum territorio degunt voluntatem. Itaque in multis Aſiae & Africae Urbibus quaſi Miniſtri publici habentur, & Legatorum iure gaudent. Vid. Barbeyrac. *in Not. ad* Bynkerſ. *De Foro Legat. Cap.* 10. §. 6. De Calieres *Maniere de negocier avec les Souverains. Cap. 6. pag.* 75. 76.

charactere & privilegiis fruuntur (1), de quibus suo loco. Uno verbo idem est Principis in exteros Consules ius Imperii, quod in peregrinos, demptis immunitatibus, quae ipsis in vim mandati necessario debentur, aut speciali pacto concessae sunt.

---

(1) Vid. Hübner. De la saisie des Bâtimens neutres. *Tom.* 2. *Cap.* 1. §. 2. Bynkershoek *De Foro Legator. Cap.* 10. *circa fin.* Les Consuls ne sont que des Marchands, qui avec leur charge de Iuge des differends, qui peuvent naître entre ceux de leur Nation ne laissent pas de faire leur trafic, & d'être sujets à la Justice du lieu de leur residence tant pour le civil, que pour le criminel, ce qui est incompatible avec la qualité de Ministre. Vicquefort. Ambassadeur & ses fonct. *Lib.* 1. *sect.* 5. *pag.* 63. *&* Mémoir. touch. les Ambassad. *pag.* 63. *Celebris est historia quae de Mahumedano servo, & de illustri illo* Theodoro *Barone de Neuhoff narratur, alter enim Viennae in Consulis Turc ci domum confugerat, alter apud Consulem foederati Belgii se receperat Neapoli, unde a Ministris regiis nemine contradicente abstracti sunt. Vid.* De Real. Science du Gouvern. *Tom.* 5. *sect.* 4. §. 11. *pag.* 59. *et seqq.*

Quamvis haec ſint Naturalis Iuris praecepta, tamen Sapientem Principem decet ius ipſum naturale, cuius interdum ſubobſcura eſt interpretatio in ſtipulationem deducere, & iura & privilegia Conſulum expreſſis pactis definire; nec improbandas cenſeo eas Gentes, quae ſponte iuri ſuo renunciantes, ſi ſine Reipublicae detrimento fieri poſſit, delinquentem Conſulem Principi ſuo puniendum dedant (1).



---

(1) *Quid interdum deceat et expediat multum differt ab eo quod iuſtum eſt. Non haec probe inter ſe diſcreviſſe videtur* Wattelius *Dr. des Gens Lib.* 2. *Cap.* 2. §. 34. *qui Conſulem eximendum cenſet ab Iuriſdictione criminali territorii, in quo Conſulatum exercet; vix enim oſtendere poteris argumentis a ſimplici ratione deductis eiuſmodi privilegium concedendum eſſe Legatis, aliiſque publicis Miniſtris, multo igitur minus Conſulibus, quos nullo publico charactere inſignitos eſſe in confeſſo eſt apud omnes.*

CAPUT V.

De Aequalitate, & Libertate Gentium.

§. 1. Homines in naturali ſtatu & aequales & liberos oſtendimus: ſi plures civilem ineant ſocietatem aequalitati quidem, & libertati renunciant intra ſocietatis fines, Perſona tamen moralis, quae Civitas dicitur & ex eo foedere ortum ducit, habita ratione ceterorum hominum omnium, qui eo foedere non includuntur, & libera & aequalis eſt, nec ſinguli enim, nec omnes, nec eorum pars aliqua, qui diverſam conſtituerint ubilibet ſocietatem, praeſtantiam affectare poſſent, tum quod libertas & aequalitas quae ad individuos omnes aeque pertinet ad compoſitum etiam corpus pertineat neceſſe eſt, tum quod eiuſmodi primaeva & connata iura non exuuntur niſi ex conſenſu. Cum autem aequalitatem dicimus, moralem illam, quam in Iure Naturae definivimus, intelligimus, quae non in phyſicae vis & potentiae aequilibrio, ſed in

iurium & obligationum paritate verſatur.

§. 2. *Conſectaria*.

1. Nulla igitur Gens eſt licet viribus, opibuſque potentior, quae alia ſuperior ordine, & natura praeſtantior, & excellentior ſit, eodem pacto quo nullus eſt in Naturae ſtatu, cuius ſint iura potiora, quod fortaſſe corporis robore, & muſculorum potentia alterum vincat; cum eadem enim omnium natura ſit, & iura omnia a Natura deducantur, quae uni ſunt iura tributa, & alteri conceſſa ſint neceſſe eſt, unde moralis aequalitas ortum ducit.

2. Conſenſu igitur tantum aequalitas & libertas naturalis exuitur, atque adeo nulla inter Gentes praelatio niſi per pactum, quod tamen naturali Legi non repugnat, quiſque enim poteſt iuri ſuo ex ſententia renunciare. Poterit igitur populus populo aliquam honoris praerogativam concedere, aut reverentiam Imperii, aut quid aliud promittere, quo ſe inferiorem fateatur, & perfectae renunciet aequalitati, & uti convenerit inter populos ita ius eſto.

3. Quaeſitum eſt igitur an pactum ab inferiore populo ſervandum, ſi ſuperior

regiminis formam, aut politicam constitutionem immutet, ut ecce si aut uni aut paucis summum deferat Imperium, & viceversa, si civile Imperium Regi aut Optimatibus delatum ad se trahat, communibusque suffragiis deinceps administrandum censeat, & servandum esse dicimus, unus enim idemque populus vel ipse per se Rempublicam administret, vel Summi Imperii exercitium uni vel pluribus committat: quippe regiminis forma non pertinet ad substantiam populi qui idem manet qui fuit sive actus Imperii per suffragia exerat, sive per voluntatem unius, quam iussit habendam esse pro generali voluntate (1).

(1) *Sic in Amphictyonico consessu tributa sunt* Philippo *Macedoni iura Phocensium, qui ei se dederant*. Diodor. Sicul. *Lib.* 16. *Cap.* 61. *Sic* Cosmus I. *Florentiae Dux, recens ad Imperii fastigium evectus* Alphonso *Ferrariae Duci ex vetustissima Atestina Gente praelatus est, quia Florentina Respublica, in cuius iura successerat Ferrariae Duces praecedebat*. Thuan. *Lib.* 44. *pag.* 893. *Confer.* Pufend. *Lib.* 8. *Cap.* 12. §. 4. *Vid.* Vicquefort. L'Ambassad. *Lib.* 1. *sect.* 25. *pag.* 361.

§. 3. *De Iure Gentis circa Titulum Summi Imperantis.*

Quia populus in interna Reipublicae adminiſtratione a nullius arbitrio pendet ei liberum eſt ſtatuere quo nomine Summum Imperantem vocare velit, quibuſque externis honoris indiciis, tituliſve decorare, & uti populus iuſſit in delatione Imperii, ita Cives ſinguli iuſſis obtemperare debent. Non tamen ultra Territorii fines extenditur obligatio; quamvis enim Lege naturali praeceptum ſit, ut cuique honor debitus tribuatur (1), cum tamen cuique liberum ſit de pretio rerum & perſonarum iudicium, liberum eſt etiam populo ſtatuere an eodem honore proſequi externae Gentis Rectorem, iiſdemque dignitatis Titulis decorare velit vel non.

Si igitur moribus Gentium receptum fuerit ut Tituli quidam excellentiam unius Principis prae alio ſignificent, populuſque eodem dignitatis Titulo inſignire velit cui

---

(1) *Vid. Iur. noſtr. P. 1. Cap. 7. §. 9.*

Summum Imperium delatum est, iure quidem poterit nemine contradicente intra fines territorii sui, non tamen id iure exiget a ceteris Gentibus, nisi eorum aut tacitus, aut expressus consensus accesserit (1).

---

(1) Hoc sane pacto quisque fere Princeps in Europa potissimum cum ceteris pactus est quo nomine, quove dignitatis titulo nuncuparetur; quin multoties & diuturnae & difficiles concertationes inter Gentes habitae, & versutiae, & calliditates, & preces etiam & minae adhibitae quasi de summa rerum ageretur non aliam ob causam quam ut Princeps alterum hoc vel illo nomine nuncuparet. Vid. ea quae acta sunt in Monasteriensi Tractatu, & Historiam Legationis Comitis de Bona *ad Regem Galliae ann* 1646. *ut idem Rex Fratris titulum Electori Brandemburgico concederet.* Vicquefort Ambassad. *Lib.* 1. *sect.* 25. *pag.* 348. & 356. & Mem. touch. les *Ambassad. pag.* 88. & *seqq. Haec tamen ad Ius conventionale Gentium pertinent, nec certis regulis contineri possunt, quae si quis desiderat adeat oportet* De Real *qui brevem Titulorum honoris, quibus Europae Principes iure vel consuetudinario vel pactitio gaudent, conscripsit* Dr. des Gens-

Ceterum fi inter Gentes Principum Titulis quibufque certa affignata fuerit fignificatio, & generali confuetudine ftatutum fit, ut qui certis Titulis decorantur certa etiam Imperii latitudine, militari potentia, opibus &c. fulgeant, illud officium eft Gentis eiufque Rectoris, ut ab affumendis Titulis abftineat, qui fortunae fuae conditioni non refpondeant, eum enim ordinem & dignitatem affectare, quae tibi non deceat ftultum eft & iniuftum, tum quod inanis iactantiae argumentum praebes, tum quod per vim cogis quodammodo ceteros, ut iis te dotibus praeditum putent, quibus cares omnino.

§. 4. *De Aequalitate, & Libertate Summorum Imperantium.*

Si aequales & liberae Gentes inter fe, ergo & fummi earum Imperantes, in quos

---

Cap 4. *fect.* 1. *pag.* 709. & Ioann. Seldenum *qui uberius, ne dicam prolixius quam par erat de eadem re egit in Lib. cui Tit.* Tituli honorum, *in quo titulos omnes enumerat, quibus fibi homines blanditi funt a fummis populorum Regibus ufque ad infimam Nobilium plebeculam.*

Gentium iura translata sunt, quique Gentem ipsam repraesentant. Nullus igitur Imperans prae alio aut excellentior aut dignior, nec uni competunt iura, quae alteri aeque tribuenda non sint, Imperium civile enim aeque summum, quantumvis angustum sit Civitatis territorium, & Iura Maiestatis eadem ubique.

Attamen innumerae exortae sunt futiles, inanesque inter Europae Principes contentiones circa dignitatis & loci ordinem, & multoties scriptis & armis (1) certatum est de Iure, ut aiunt, praecedentiae, nec puduit multorum millium hominum innocentes animas contemnendae gloriolae desiderio immolare. Sunt qui naturalis rationis regulis eiusmodi controversias dirimi posse putant, dignioresque Principes habendos esse aiunt qui priores in uno eodemque

(1) Pro praecedentiae iure pugnatum fuit navali praelio inter Anglos & foederatos Belgas 21. Maii 1652. Controversiae finis impositus est in Tractatu Vestmonasteriensi 25. April. 1654. Art. 13. & in Badensi Art. 9.

genere dignitatem meruerunt (1), quive ceteris paribus ſunt potentiores. Sed nec a nuda prioritate temporis, aut a maiori militum copia ius aliquod, nempe facultatem moralem oriri poſſe ex noſtris principiis manifeſte liquet. Huiuſcemodi igitur quaeſtionum diiudicatio non a naturalibus Legibus pendet, ſed vel a pactitio & conventionali Iure Gentium, vel a populorum tacito vel expreſſo conſenſu, de quo diſſerere Inſtituti noſtri ratio non patitur. Non deſunt qui a ſacro Deorum cultu titulos mutuantes Libros Principum Ceremoniales (2) conſcripſerunt, ubi de eorum prae-

(1) *Hanc regulam ex Romano Iure deducunt, & praecipue ex L. 1. Cod. De Conſulib. et Leg. ult. Cod. de Tyron. quaſi vero* Theodoſii *aut* Honorii *Legibus liberarum Gentium iura definire facultas ſit. Vid.* Iacob. Gothofred. *Diſſert. De Iur. praecedent.* Henr. Cocc. *De Poteſt. Stat. Imper. circa Dignitat.* Iacob. Howel *Diſſert. De Praecedent. Reg. Gall. Hiſpaniae & Angliae.* Blondel *Genealog. Franc. plenior aſſert.* Grot. *Lib.* 2. *Cap.* 5. §. 21. Pufend. *Lib.* 8. *Cap.* 4. §. 16. & 20.

(2) Rouſſet. Cérémonial Diplomatique

cedentia abunde agitur. Fatendum tamen est Ius praecedentiae inter Europae Principes etiam nunc esse vel incertum vel controversum (1) si unum excipias Romanum Pontificem, & Caesarem Augustum, quo-

2. *Vol. in fol. quae* Dumontii *Corpus Diplomaticum sequuntur*. Gregor. Leti. Ceremoniale Istor. & Polit. *licet vix aliquid inveniatur circa Principum praecedentiam in sexto Volumine: cetera rerum omnium farraginem continent*. Frideric. Guil. *de* Winterfeldt. Cérémon. Politique. Wicquef. Mém. touch. les Ambassad. *pag.* 352. De Real. Dr. des Gens. *Cap.* 4. *sect.* 3.

(1) Vid. Godefroy. Mémoir. pour la préséance des Rois de France sur les Rois d'Espagne. Mém. touch. la dignité des Rois de Fr. Cérémon. François. Bulteau. De la préséance des Rois de Fr. sur les Rois d'Espagn. Iacob. Valdeg. *Praerogat. Hispaniae &c. contra quem scripserunt* Bignonius. Traité de l'excellence du Roy & du Royaum. de Fr. *& supra laudati* Godefroy & Bulteau.. *In eo tamen fere omnes peccant quod velint Ius praecedentiae ad naturalis rationis principia redigere, cum extra dubium positum sit in naturali statu nemini esse ius singulare quaesitum nisi ex tacito vel expresso alterius partis consensu*.

rum dignitatis praerogativa extra controverſiam poſita eſt.

Id unum igitur tantum circa praecedentiam ſtatui poſſe videtur, eum nempe Principum ordinem firmum, ratumque ſervandum, qui pactis expreſſis, vel conſuetudine tacito conſenſu roborata eſt inter Gentes conſtitutus; ius autem dignitatis ſemel populo quaeſitum non infirmatur mutata Reipublicae forma, uti paulo ante monebamus, idem enim populus eſt aut unius, aut plurium, aut multitudinis Imperio gubernetur.

Quod de Principum dignitate & praeeminentia diximus, id etiam intelligendum de Gentium praecedentia in mari, nam licet qui in mari libero navigant utpote in territorio nullius non alia lege erga alios, qui in iiſdem aquis navigio vehuntur, quam naturali obligentur, attamen inter Gentes paulatim opinio invaluit, ut Nautae Nautis diverſorum populorum in mari occurrentes eamdem quibuſdam externis indiciis (1)

---

(1) Ut ecce: qui inferiores dignitate ſunt

praebeant reverentiam, quam populus populo debet. Quae quidem regula ſtatuto populorum dignitatis ordine licet rationi conſentanea non tamen ſemper valuit inter Gentes, quae interdum ad momentaneae potentiae normam praeeminentiam in mari dimetitae ſunt. Haec omnia igitur vel pactis vel conſuetudine reguntur, quae ſemel legitime introducta ſervanda eſt.

§. 5. *De Libertate in adminiſtranda Republica.*

Sed quamvis vel tacite vel expreſſe conſenſerit populus alter alterius maieſtatem ſe comiter ſervaturum, conceſſurumque aliquam honoris praerogativam, non ideo eius libertatem imminutam dixeris. Summum adhuc intra territorii fines civile Imperium, atque adeo Rempúblicam adminiſtrandi libera omnino facultas & ius perfectum.

---

ut reverentiam exhibeant vel primi ſalutant, vel vexillum demittunt, vel contrahunt vela, vel aliis honorem exhibent externis indiciis iuxta caſus exigentiam; quae quidem omnia ad conſuetudinarium vel pactitium Ius maritimum Gentium, non ad diſciplinam noſtram pertinent.

§. 6. *Conſectaria*.

1. Nemini igitur quamvis potentiſſimo ſapientiſſimoque Principi ius eſt impediendi, ut populus eiuſque Rector ſummi Imperii exercitio utatur iuxta ſententiam, eaque iubeat, quae ipſi vel utilia vel iuſta videntur, licet minus ad finem Civitatis conducibilia. Errantem ſi velit moneat, hic tamen ſiſtat humanitatis officium oportet; ſi enim ultra progreditur, & per vim liberum populi Imperium coerceat Naturae Legem violat, & iniuriam facit.

2. Itaque nullus Princeps alienae ſe immiſcet Reipublicae adminiſtrationi ſine ſumma iniuria, niſi forte Imperantis actus damnum ipſi inferat, aut eius ius laedat perfectum.

3. Exinde ius omnibus coercendi Gentem, cuius Imperii actus ad laeſionem Generis humani diriguntur, ut ecce ſi non tantum non inhibeat, ſed etiam excitet praemiis latrocinia aut piraticam, aut alio pacto ius commune hominum laedat; nullum autem ius, ſi cum ceteris amicitiam colens aut iniuſtas ferat Leges, aut inculta & barbara ſit, aut falſa Deum Religione

colat (1). Ut enim ab his abſtineat monenda potius quam cogenda, cum nemini, ut diximus, beneficium per vim obtrudi poſſit ſine Libertatis naturalis laeſione.

CAPUT VI.
De Officiis Gentium, quae ex Dominio & Imperio ortum ducunt.



§. 1. *Bona Civium, veluti bona Civitatis habentur. De Aere alieno publico.*

Cum eadem ſit tam privati quam publici Dominii origo, eadem iura eaedemque obligationes ex utroque deſcendant oportet. Cum igitur occupati Territorii dominium ad populum pertineat, tamquam perſonam moralem, ſive penes eum ſit in commune, ſive in ſingulos Cives diviſum, pars territorii privato cuique tributa eam habet rationem ad totum, quam civis ad populum; atque adeo cum Cives ſimul ſumpti popu-

(1) Lamind. Pritan. *De Ingen. mod. in Relig. Negot. Lib.* 2. *Cap.* 13. *Edit. Ven.* 1768. *p.*379.

lus sint, ita bona privata Civium, sive territorii partes simul sumptae bona sunt Civitatis (1). Itaque si qua Gens ius habeat quaesitum in bona alterius Gentis, illud valide exercet in cuiusque privati bona, quae in debitricis territorio sint posita. Aes igitur alienum publicum nempe nomine Civitatis contractum ex publicis primum, dein ex privatis territorii bonis solvendum pro rata.

Non desinit autem debere populus mutata Reipublicae forma, aut Rege etiam tyranno eiecto, aut si in victoris transeat potestatem; primo enim casu idem populus est, altero Creditoribus extraneis tenetur (1), qui sequuntur possessionem, si praesertim pecunia in populi utilitatem versa sit,

---

(1) *Nec excipienda bona, quae exterus possideat in Territorio nostro, etiamsi fuerit Regali dignitate insignitus, quod enim ad ea bona veluti privatus & Civis habetur. Vid.* Bynk. *De Foro Legat. Cap. 4. Opp. Tom. 2. pag. 127. Vid. Ius nostr. P. 2. Cap. 3. §. 21.*

(1) *Consul.* Grot. *Lib. 1. Cap. 4. §. final.* Henric. Cocc. *in Prodrom Iuris Gent. exercit. 2. §. 136.* Sam. Cocc. *ad l. cit.* Grot.

fit, tertio victoriae iure populi obligationes non extinguuntur, in quas victor succedit.

§. 2. *De Iure Principis in Peregrinos.*

Ex dominio & Imperio Gentis intra Territorii fines sequitur ius perfectum excludendi omnes qui ad Civitatem non pertinent ab eius usu, vel eos admittendi iis legibus, quae Gentis Rectori placuerint. Hoc iure innititur *Albinagium* (1), & cen-

(1) Grotius *Lib.* 2. *Cap.* 6. §. 14. *n.* 2. *arbitratur eam Legem ab illa derivandam esse aetate, qua externi quasi pro hostibus habebantur: quod quidem verum esse arbitror, vetustissimum enim fuit apud Gentes odium peregrinitatis, et apud Athenienses inhumanius quam apud Romanos. Vid.* Graev. *ad* Cicer. *De Offic. Lib.* 3. *Cap.* 11. Sigon. *De Republ. Athenienf. Lib.* 3. *Cap.* 1. *& Lib.* 4. *Cap.* 3. Meurs. *De Legib. Attic. Lib.* 2. *Cap.* 20. *Peregrini apud Romanos frui non poterant iure Quiritium, hoc est de Testamento Civis Romani legata capere, aut haeredes esse, nec Civis Romani filiam ducere aut honores ambire. Exinde* Ius Albinagii *derivatum in Feudalem Politiam; tributum enim est primum* Dominis *in* Aubenas,

ſus, qui Fiſco pro exportandis extra territorium bonis ſuis penditur, & quae *Tracta foranea* dicitur: Iure vero *Albinagii* a ſucceſſione defuncti Civis vel Peregrini excluduntur exteri, & in bona eius Fiſcus ſuccedit. Si alicubi eae Leges, quae etiam apud moratiores Gentes valent, peregrinis & advenis praeſcribuntur, quin ipſis obtemperandum ſit vix ambigendum. At ſi nullae Leges circa peregrinos, vel advenas latae ſunt, ea tamen recepti conditione intelliguntur, ut ſummi Imperii legibus pareant, donec in territorio commorantur; abſurdum enim eſt in eo aliquem eſſe, qui publica contemnere juſſa poſſit, in novam enim ſocietatem quaſi temporarius civis cooptatur, atque adeo publico paret imperio quod quidem intelligendum eſt non tantum quod ad perſonas, ſed etiam quod ad res tam mobiles, quam immobiles, quas peregrinus in alieno territorio poſſidet, eae

---

ſive advenas *qui veluti ſervi habebantur*. *Vid.* Ducange *Gloſſ. med. & infim. Latinit. verb.* Albinagium.

enim loci legibus aeque subiiciuntur; (1) in Principis enim iurisdictionem consensisse iure praesumitur, qui illius ingreditur territorium, vel in eo praedii possessionem acquirit (2). Iisdem igitur Legibus, &

---

(1) *Vid.* Grot. *Lib.* 1. *Cap.* 3. §. 5. *& ibi* Henric. Cocc. *Propos.* 7. *pag.* 234. *& Lib.* 2. *Cap.* 11. §. 5. Pufend. *Lib.* 3. *Cap.* 3. §. 10. *& Cap.* 6. §. 2.

(2) *Quae diximus procedunt etsi Peregrinus Summus Imperans sit, & domi iura habeat Maiestatis, nam ubi suum in alieno territorio constituit domicilium tacito consensu loci Iurisdictioni subiicitur. Sunt qui dubitant an de Peregrino Principe idem dicendum. Si Ius naturae spectes, & fundatam, ut aiunt, in territorio Iurisdictionem, vix dubitandum Principem in alieno territorio, vel commorantem, vel peregrinantem legibus loci obtemperare debere, quippe qui extra territorium Gentis, cui praeest, veluti privatus habetur. Nam quod nonnulli dictitant id non procedere si peregrinus Princeps facultatem a Superiore territorii obtinuerit, ut sui Imperii fines ingredi liceat, nullo iure asseritur; Princeps enim eam facultatem concessisse praesumitur sine summi Imperii, & publicae securitatis laesione; ut quis autem sit in territorio*

Civis, & advena regitur, iuvaturque eodem tempore, & in eo differunt inter ſe, quod Civem numquam, advenam interdum ignorantia Iuris excuſat.

§. 3. *De Iure Principis in ſubditos commorantes in alieno Territorio.*

Haec quidem nullo pacto pugnant cum iis quae ſupra diximus de illis qui a Patria abſunt redeundi animo, quos Civitatem non amittere, & ad eam quaſi Cives, & Subditos pertinere aſſeruimus. Poteſt enim quis uno eodemque tempore & alieno

---

Legibus omnibus ſolutus nec ipſe permittere poteſt ſummus Imperans. Attamen invaluit ut qui Princeps requiſito & connivente altero, eius territorium ingreditur, ibique delinquit fines Imperii egredi tantum iubeatur, nullaque licet legitima ei inferatur vis ob gradus eminentiam, quod non improbandum cenſeo. Non pauca tamen memorantur ſeveritatis exempla, ut ecce, Mariae Stuardae *Scotorum Reginae,* Conradini *Sueviae, &* Friderici *Auſtriae Ducis,* Ricardi *primi Regis Angliae &c. quae quidem improbantur potius ob iniuſtitiam Iudicii, quam ob Iuriſdictionis defectum. Vid.* Real. Dr. des Gens. *ſect.* 8. *pag.* 163. *et ſeqq.*

Imperio ſubeſſe in quibuſdam actibus & ad tempus, in aliis vero & iura, & obligationes ſervare erga Civitatem ſuam, quae nullo pacto Imperio loci, in quo degit repugnent.

Huic igitur eſt Imperium in advenam quaſi in temporarium civem, Civitati vero ſuae quaſi in perpetuum, atque adeo & revocanti Civitati parere, & Legibus Patriis obtemperare tenetur in omnibus, quae apud ſuos valida eſſe velit (1). Quin ſi Civis concivem ſuum in alieno territorio aliquo pacto laedat, & in Patriam redux laeſus ad reparationem damni, vel ad poenam agat contra laedentem, iure poterit iudicium de ea re in Patria inſtitui, & patriis Legibus definiri, ius enim quod laeſus acquiſivit vel ad poenam, vel ad reparationem damni perſonam ſequitur, quamvis ius illud ſit in alieno territorio quaeſitum.

Si vero antequam rediret in Patriam

---

(1) Vid. Teſmar. ad Grot. *Lib.* 2. *Cap.* 11. §. 5.

Iudicem alieni territorii adiit, & de ea re eft fententia dicta, nullus eft ulterius iuris experiundi locus, fententia enim eft actus Imperii, quod cum fummum fit externae Iurifdictionis examini non eft fubiiciendum.

§. 4. *De Iure Principis in reos, qui in Territorio fuo deliquerunt.*

Ius puniendi criminis reos in Principe perfectum, perfectum item in altero Principe ius arcendi peregrinos & exteros a territorio, & non patiendi, ut alter ibidem iurifdictionem exerceat fe invito, & inconfulto; fi igitur quis deliquit in territorio, & poft crimen admiffum aliquo confugit, in officiorum collifione ius oritur depofcendi reum ad poenam, in Civitate autem apud quam degit obligatio ut interpellata vel pro merito puniat nocentem, vel ei apud quem deliquit dedat, vel faltem praefumpto reo neget Afylum (1). Eo pacto,

---

(1) *Quod verum eft cuiufcumque ordinis praefumptus reus fuerit. Nec Galli, nec Belgae* Carolum *II. olim Britanniae Regem dedere* Cromwellio *voluerunt, ei tamen afy-*

& ius alieni territorii non laeditur, daturque copia iuris sui ex Naturalis Legis praescripto exsequendi. Si omnia recuset Civitas, iam non amplius inter privatum reum & Gentem, sed inter Gentes ipsas res agitur: crimen enim ipsum non incongrue Populo tribuitur, qui delinquentem tuetur, & criminis denegat reparationem; quae quidem iniuria aequissimam praebet belli caussam (1).

Non tamen deposcenti ante dedendus praesumptus reus, quam caussa cognita sit, & de criminis imputabilitate liquido constet: contra enim alienam vim subditis vel temporariis, vel perpetuis a Civitatis Rectore debetur patrocinium, nec reus aliquis dicitur nisi convictus (2) & legitimi Iudicis sententia criminis auctor declaratus,

---

lum denegarunt. *Vid.* Bateum *De mot. Angl. p.* 2. *pag.* 208. Wicquefort. L'Ambassad. *Lib.* 1. *sect.* 3. *Quod & antiquitus factum esse multoties legimus*. *Vid.* Grot. *Lib.* 2. *Cap.* 21. §. 5. *n.* 4.

(1) *Vid.* Grot. *ibid.* §. 3. *& seqq.*

(2) *Vid. Ius nost. P.* 2. *Cap.* 3. §. 4.

nullus autem Iudex legitimus extra Imperantis territorium. Quod quidem cum facile vel differendae, vel omnino vitandae poenae praebere poſſit delinquentibus opportunitatem, atque adeo Gentem cum Gente committere, inter complurimos Europae populos publicis ſancitum eſt Pactis, ut depoſcentis Populi iudicio fides habeatur, & ad eius nutum praeſumptus dedatur reus praecipue ſi depoſcentis ſit ſubditus. Id ſane non improbandum, ſi ubique terrarum homines iuſtis Legibus, non vi & praecipiti interdum Imperantis arbitrio regerentur (1).

---

(1) Si qui ſint homines iniuſta Principis ira quaeſiti ad mortem, & ad conterminum vel longe diſſitum populum confugiant, eos ab iniuria defendere & iuſtum eſt, et generoſum. Pro eiuſmodi miſeris et infortunio perculſis hominibus & permiſſa aſyla, et ſacra ſupplicum iura: id enim iure hominum illis debetur, quibus innocens animus, iniuſta fortuna: illis perfugio, ac ſolatio eſſe debet generoſi populi ſedes, veluti olim fuit apud Athenienſes ara miſericordiae.

§. 5. *Consectaria*.

1. Quoniam actiones suis auctoribus imputantur, si quid admissum a privatis civibus in populum inscio, & inconsulto summo Imperante, id populo imputari nequit (1).

2. At si subditos iniuriam in exteram

---

(1) Uno verbo populo, vel Regi non imputantur nisi actiones publicae, privatae vero, quae veluti alienae censentur iisdem regulis ponderantur quas supra posuimus de imputatione actionum alienarum. Eo pacto diiudicantur quaestiones, quae aliquando exortae sunt inter gentes, an scilicet teneantur Reges ob subditorum delicta in mari admissa, si iis inconsultis et insciis piraticam exercent, auxilia suppeditant obsessis, instrumenta bellica ad hostium urbes important, et cetera id genus, quae facile dissolvuntur, si publicae actiones a privatis sedulo discernantur. Si enim eiusmodi nefarios homines in Patriam reduces Rector Civitatis puniat, aut eos laeso populo ad poenam poscenti dedat, vel in bona eorum ius reddi curet, iam iustitiae factum est satis, nec qui iniuriam passus est habet ultra quod expostulet.

Gentem inferre non ignoraverit (1), & eos cohibere ſi poſſit (2), aut illatam reparare iniuriam, requiſitus neglexerit, iam populus ipſe iniuriae auctor habetur, & vis publica publica vi repellitur.

CAPUT VII.

De Iure neceſſitatis inter Gentes ubi de uſu rerum innoxiae utilitatis.



§. 1. *Ius ad uſum rerum innoxiae utilitatis commune.*

Cum Gentium Dominia, & Imperia publica, de quibus hactenus verba fecimus, ab eadem deducantur origine, a qua pri-

---

(1) Non ignorare autem facile eſt ut praeſumatur quae conſpicua ſunt, quae frequentia.

(2) Ut ecce: ſi ad inhibenda publica latrocinia ea non adhibet quae poteſt, ac debet remedia, quo nomine damnati olim ab

vata deducenda esse diximus, iisdem etiam conditionibus utraque subiicienda esse manifeste patet. Si qua igitur sunt in dominio, & imperio Gentis, quae praeter privatam, propriamque, innoxiam etiam habeant utilitatem eam in commune positam naturali iure non inficiandum, cum ratio omnino desit, cur a communione primaeva subtrahatur; quae enim utilia iis sunt qui accipiunt, danti non molesta, ea denegare petenti & barbarum est, & iniustum (1); quamvis enim quaedam occupari possint quod ad privata emolumenta, non tamen iure occupantur quod ad eam, quam habere possunt innoxiam utilitatem. Id qui-

---

Amphictyonibus Scyrii. Plut. *in* Cimon. *vid.* Grot. *lib.* 2. *Cap.* 17. *n.* 20. *Ea de causa bellum iustum in eos qui Piraticam ex professo exercent, quod & alibi notavimus*. Alienae igitur, inquies, culpae me reum facies? Prorsus alienae si provideri potuit ne existeret. Cic. *Epist.* 55. *ad* Brut. *Concord. L.* 2. *pr. ff. de Nox. act.*

(1) *Vid.* Cic. *de Off. lib.* 1. *Cap.* 16.

dem non ex pacto, ut *Grotius* ait (1), tacito inter Gentes, ſed ex ipſo naturali iure, & Dominii natura ortum ducit.

§. 2. *Huius Iuris fines:*

At cuiuſnam erit iudicium an uſus rei dominio ſubiectae innoxius omnino ſit, & nec minimum detrimenti, & moleſtiae domino afferat? Quidquid nonnulli dictitent id Domini iudicio permittendum arbitror, cuius ſunt, & proprietatis, & libertatis iura; uti enim dominus omnes alios ab uſu rei propriae excludit, uti vero liber de innoxia ipſius rei utilitate cum ceteris communicanda nemine contradicente iudicat; fieri enim poteſt, ut qui aliis videtur rei alicuius uſus omnino innoxius, & loci, & temporis habita ratione revera non ſit, & magnam afferat domino, aut aliquam ſaltem moleſtiam. Si quis igitur putat rem iam occupatam uſum habere innoxium,

---

(1) *Lib.* 2. *Cap.* 2. §. 11. *qui ut ſolet complurima affert veterum Scriptorum teſtimonia, quibus non deneganda confirmet iura quae vocat innoxiae utilitatis.*

eum a domino petat oportet, qui si deneget etiam iniuste legem internam Naturae violat, iniuriam petenti non facit, atque adeo per vim adigi nequit, ut usum praestet sine naturalis libertatis laesione (1).

§. 3. *Consectaria*.

1. Ius igitur quod vocant innoxiae utilitatis ad res alienas non differt ab eo, quod universis hominibus competit ad humanitatis officia, iisdemque regulis definitur.

2. Et cum quod imperfecte debetur perfecte debitum non fiat nisi per pacta, diuturnus usus alienae rei ius non parit, & a precario non differt.

3. Itaque poterit alter populus alteri usum rei, vel iuris proprii concedere, alteri denegare sine iniuria; fieri enim potest ut rei suae, vel iuris usus innoxius sit si uni populo concedatur, non innoxius si alteri, cuius rei iudicium penes populum est, qui rei, vel iuris dominium habet.

---

(1) *Vid.* Wattel. *Lib.* 2. *Cap.* 9. §. 128. Grot. *Lib. cit.*

4. Quae igitur deberi Gentibus nonnulli dictitant iure innoxiae utilitatis ex communione primaeva reſiduo (1) cum non incongrue, quod ad externum effectum adtinet, ad officia humanitatis referantur, per vim exigi nequeunt: ut ecce tranſitus exterorum (2) per terras & aquas occupatas, ad

---

(1) *Male igitur docuit* Grotius *Lib.* 2. *Cap.* 2. §. 22. *quod ſi populus promiſcue permittat externis actus aliquos, ei qui excluditur iniuria fiat. Iniuria enim ſupponit iuris perfecti laeſionem, Gentium autem ius ad res quae innoxiae utilitatis videntur imperfectum diximus. Vid. quae ad h. L. adnotantur ab* Henr. *&* Samuel Cocc.

(2) *Vid.* Grot. *loc. cit.* §. 13. *ibique illuſtris* Gronovii *notam, in qua complurima afferuntur argumenta ab Hiſtoria petita, quibus ſententia noſtra confirmatur.* Grotius *ipſe qui non denegandum armato militi tranſitum affirmat, docet tamen ab exercitu per alienos fines tranſituro poſtulandum prius tranſitum, & ſi negetur vindicari poſſe. Quod quidem cum ſententia ſua pugnat, nam ſi tranſeundi per alienos fines eſt ius perfectum, ipſe ſummo Imperante, vel inconſulto, vel invito iure ſuo uti poterit.* Grotianam *ſententiam amplectitur &* Wolfius. *Ius Gent. cap.* 6. §. 686. *& ſeqq.*

littora & oras appulsus, commoratio, permansio, & domicilium in territorio, mercatura, & cetera id genus, quae quidem si innoxia denegare durissimum est & inhumanum, at per vim exigere iniustum.

5. Quod quidem probe novisse Gentes dicendae sunt, quae saepissime per pacta publica Iura huiusmodi, quae ex communione primaeva residua afferunt nostri Iuris-consulti in stipulationem deduxerunt.

§. 4. *De Iure Necessitatis.*

Haec quidem recte procedunt nisi officia Gentis erga se ipsam cum officiis erga aliam collidantur, & extrema urgeat necessitas; in praesenti enim rerum discrimine Lex naturalis circa Imperia, & Dominia publica suspenditur iuxta regulas quae alibi tradidimus, & quae huc revocandae, eae enim iura necessitatis inter Gentes dimetiuntur, tum Pacis tum Belli tempore: De Iure Gentium in bello alibi.

In statu vero Pacis quae identidem inter Gentes accidunt, de quorum iustitia dubitari posset, ut ecce, an liceat in summa annonae penuria conterminae Gentis frumentum, aut alia cibaria per vim eri-

pere, vel ea terra, marique ad exteras Gentes advehenda intercipere, & in proprios uſus convertere, an urgente neceſſitate alienum Territorium per vim ingredi, plauſtra, naves, & equos ad vecturam idoneos occupare, iiſque uti ex ſententia (1), an

---

(1) Quod olim factum legimus a Graecis qui cum Xenophonte erant; cum enim navibus indigerent, tranſeuntes ceperunt, ſed ita ut & merces intactas conſervarent, nautis vero & alimenta praeberent, & naulum perſolverent: quod quidem & Gentes omnes bellantes noſtris etiam temporibus imitantur ſine iniuſtitiae nota. Vid. Xenoph. *De Expedit.* Cyri *Lib.* 3. *Cap.* 1. *Quin vero eiuſmodi iuri proprium nomen tributum eſt diciturque Hiſpanico vocabulo* Embargo, *latine diceres Impedimentum, detentionem, ſive ſequeſtrationem. Si quando enim alienis vectoriis navibus indigeant Principes, etiam extra abſolutam neceſſitatem indicunt generale* Embargo, *cuius vi naves omnes quae in Regni portubus ſunt licet proxime navigaturas retinent; nautaeque iubentur, ut Principi Territorii inſerviant tum pacis, tum belli tempore: quod frequentiſſime & noſtris etiam temporibus factum eſt ab Hiſpanis, Anglis, Gallis, aliiſque ita ut quod iure neceſſitatis*

an navem vi tempestatis compulsam, & portum iam ingredientem submergere ut pestis periculum a Populo avertatur, & cetera id genus complurima, quae omnia cum facile ex nostris diiudicentur principiis, ea singillatim percensere & exponere supervacaneum puto.

CAPUT VIII.

De Praescriptionibus inter Gentes.



§. 1. *An Praescriptio locum habeat inter Gentes.*

SI quis hominem naturali ratione tantum praeditum interroget, an ei qui ab usurpatore rem mobilem, aut immobilem accepit, eamque decem vel viginti annis bona fide possedit, liceat iure tamquam

---

licitum, & iure conventionali ratum quodammodo sit. Vid. Real Dr. des Gens. *Cap.* 2. *sect.* 7. *pag.* 536.

ſuam retinere, rerumque dominum eam vindicantem, & uſurpationem liquidis demonſtrantem argumentis iure repellere, reſponſurum non dubito id nullo pacto licere. Cum enim in hypotheſi certum ſit Domino vel invito, vel inſcio ius quaeſitum ereptum iniuria fuiſſe, fieri non poſſe arbitrabitur, ut iniuria tractu temporis convaleſcat, & iuris robur obtineat, & ne videatur alienam tueri uſurpationem, & ratam habere iniuriam, rem ſuam domino reſtituendam, damnique reparationem a fraudis, & uſurpationis auctore depoſcendam docebit. Id ſane ſentiet qui divinos naturalis rationis radios ſubtilium cavillationum caligine obnubilari, aut iuſti & honeſti ſenſum corrumpi paſſus non eſt. Sed quotuſquiſque eſt, qui ad haec noſtra accedat ſtudia, quem non iam ſcholaſtica deliramenta, & eorum, qui ſe dicunt Iuſtitiae ſacerdotes graviſſimae quamvis futiles ſententiae non corruperint? Inde maxima exorta eſt difficultas circa ius Praeſcriptionis, quod tot tantiſque fuit Scriptorum ambagibus involutum, ut poſtquam omnes eorum flexuoſos anfractus emenſus fueris, vix

quo te vertas ad veritatis viam detegendam ſcias. Et noſtra igitur, & rectae rationis revocemus principia.

1. Nemini invito eripiendum dominium rerum ſuarum.

2. Alienae rei reſtitutio naturali iure praecepta, undecumque ſibi eam poſſeſſor comparaverit.

3. Cum Dominium ſit Ius, atque adeo facultas moralis, cumque tempus ſit ſimplex nudumque nomen durationis rerum exiſtentium, atque adeo nec ens phyſicum, nec morale, tempus per ſe vim moralitatis effectricem habere non poteſt.

His poſitis, I. quaeritur an Praeſcriptio, & uſucapio a Romanis Legumlatoribus introducta naturali rationi ſit conſentanea, vel in iure Naturae admittenda. Negamus.

Praeſcriptio, vel uſucapio (idem enim earum maxime poſt Iuſtinianum effectus (1) eſt adiectio Dominii per continuationem

---

(1) *Vid. L. un. Cod. de Uſucapione transformanda.*

poſſeſſionis temporis lege definiti (1). Ergo 1. per praeſcriptionem acquiritur domininm rei alienae invito domino, 2. acquiritur Dominium nempe facultas moralis per lapſum temporis, 3. liberatur poſſeſſor a naturali obligatione reſtituendi rem alienam, quae omnia ſtatutis Principiis directe adverſantur; atqui poſita principia partim leges Naturae ſunt, partim axiomata, ergo praeſcriptio a Romanis Legumlatoribus introducta nec rationi, nec naturali Iuri eſt conſentanea.

Quaeritur II. an ſaltem in Iure Naturae admittenda longiſſimi temporis praeſcriptio, cum quis poſſederit rem alienam tanto tempore, quod memoriam hominum excedat. Negamus: quae enim ſupra adnotavimus, & hic omnia valent niſi quis afferat iniuriam, & uſurpationem quo diuturnior, eo magis in ſpeciem Iuris tranſire. Fieri tamen poteſt, ut longiſſimi temporis poſſeſſori Dominium rei quam poſſidet adii-

---

(1) *Vid. L. 3. ff. De Uſurpat. & uſucap. L. 2. Cod. De Praeſcriptione longi temporis.*

ciatur facto potius, quam iure, cum nempe possessionis praesentis origo a memoria hominum penitus excidit, & usurpationis est impossibilis demonstratio; non enim sufficit, ut quis ostendat rem ab alio possessam ad se vel suos olim pertinuisse, sed manifeste doceat oportet, se vel suos a dominio & possessione iniuria fuisse deturbatos. Exinde restitutionis obligatio in bonae fidei possessore (1). Non igitur tempus quamvis longissimum vim habet ex continuata possessione transferendi dominium, sed dominium iure translatum in possessorem praesumitur, quoniam iniuria translatum fuisse liquidis probationibus docere postulanti impossibile, quandoquidem praesentis possessionis origo in hypothesi est, ut scholae loquuntur, *immemorialis*.

Sed cum res occupatae, & dominio privato subiectae ad primaevam communionem redire possint per derelictionem, quae non tantum verbis, sed & factis, &

---

(1) *Vid. Ius nostr. P. 1. Cap. 9. §. 1. Coroll. 4.*

non factis manifeſte declaratur, quaeritur III. an diuturnum ſilentium ſcientis & libere volentis valeat ad derelictionem praeſumendam. Illud hic loci ante omnia animadvertendum eſt, non amplius quaeſtionem eſſe de praeſcriptionis iuſtitia iuxta Romanorum Legumlatorum mentem, quae non praeſumptae innititur derelictioni, ſed a continua poſſeſſione temporis ſpatio lege definiti vim accipit, & in poenam negligentis domini eſt conſtituta; nam quamvis concedamus longum domini ſilentium, qui rem ſuam ab alio teneri ſcit, nec quicquam contradicit multo tempore, valere ad coniecturam probabilem derelictionis, attamen fatendum eſt ſilentii tempus non eſſe a Naturali Lege definitum, atque adeo ut a ſilentio domini praeſumatur poſt certum temporis ſpatium rei ſuae derelictio civile omnino eſt.

Ceterum ſi huc revocentur quae diximus in Parte prima (1) Iuris noſtri de rebus occupatis ad primaevum ſtatum redeuntibus,

---

(1) *Cap.* 7. §. 4.

liquido constat silentium per se quamvis scientis & libere volentis, quamvis diuturnum, nec rei derelictae esse indubium indicium, nec iuris sui renunciationem manifeste significare, atque adeo praescriptionem, vel longi temporis possessioni, vel praesumptae ex silentio derelictioni innitatur, non ad Iustitiae Naturalis normam fuisse constitutam, siquidem per eam iniuria & usurpatio lapsu temporis rata habetur, & dominus, qui sciens volensque patitur ut alter re sua utatur, vel iuris sibi quaesiti exercitio abstinet ad tempus, & re & iure in perpetuum spoliatur invitus; quae quidem cum sint Iuris Naturalis regulis contraria, in Iure Naturali praescriptio admittenda non est, atque adeo nec inter Gentes locum habet, quae eo iure reguntur.

Itaque praecepta Naturalis Iustitiae circa praescriptionem haec sunto.

1. Bonae fidei possessor simulac noverit se rem alienam possidere eam legitimo domino restituet etiam non requisitus.

2. Si non noverit, eam domino vindicanti tamquam suam non prius reddet, quam evidentibus constet argumentis, &

eum verum dominum eſſe, & contra ius & fas ab eius poſſeſſione ſe deturbatum.

3. Cum praeſumptio cedat veritati, & ſilentium nonniſi incerta ſit derelictionis coniectura, ſi dominus, qui diu ab alio rem ſuam poſſideri paſſus eſt eam repetat, coniectura omnis & praeſumptio evaneſcit.

Obiiciunt tamen nonnulli praeſcriptionis legem publico bono Civitatis introductam, ſine qua dominia omnia incerta, & turbata, atque adeo Civium pax & tranquillitas perpetuo agitaretur periculo (1). Et cum dominia rerum privata permiſſa ſint a Natura ad pacem inter homines ſervandam naturali rationi conſentaneam praeſcriptionem eſſe aſſerunt, quae poſſeſſori longi temporis adiicit tandem rei poſſeſſae legitimum dominium.

Sane non negamus in Civitate licere ad lites evitandas poſt certum poſſeſſionis tempus res alienas etiam initio male partas poſſeſſori tamquam ſuas lege lata adiudicare aut ab iuris ſui exercitio, quod diu neglexit, do-

---

(1) *L.* 1. *ff. De uſucap. Princ. Inſit.* §. 6.

minum deiicere, quasi in poenam negligentiae: non negamus in Civitate licere huic, vel illi incerto derelictionis argumento certitudinem tribuere. Multa esse diximus quae a naturali iure in Civitate recedunt necessitatis ut ita dicam Lege.

Non tamen id est quod quaerimus, nam quamvis concederemus iure naturali permissivo licita esse ea omnia, sine quibus civilis societas consistere non potest, & ad ea referendam esse praescriptionem, attamen vicissim concedatur oportet possessionis tempus arbitrarium omnino esse, & a summi Imperantis in Civitate pendere; atque adeo eiusmodi praescriptionem in statu naturali, & inter Gentes suo fundamento carere, cum nullus sit, qui ius habeat aut tempus definiendi ad praescriptionem necessarium, aut puniendi negligentem dominum; in naturali enim statu poenae proprie dictae locum non esse alibi diximus.

Quin dubium etiam exoriri posset an conducibilius sit in Civitate veri domini potius, quam possessoris rationem habere, atque adeo eius iura sarcta tecta tueri, & vim & fraudem Civitatis perniciem punire,

potiuſquam negligentiam ; nam quamvis bonae fidei, & longi temporis poſſeſſorem ſpoliare aliquam habeat aſperitatem, durius aſperiuſque videtur domino invito auferre dominium, poſſeſſorem enim indemnem praeſtat fraudis auctor, domini autem damnum eſt irreparabile. Quod autem aiunt bono publico uſucapionem, & praeſcriptionem introductam, ne ſcilicet rerum quarumdam diu, & fere ſemper incerta dominia eſſent, Legumlatoris potius arguit imbecillitatem, quam praeſcriptionis utilitatem & iuſtitiam. Bonis enim legibus cavendum ut nemo in Civitate per vim, aut fraudem rerum praeſertim immobilium nanciſcatur poſſeſſionem, non poſſeſſio iniuſte quaeſita rata habenda. Primum quidem fieri in recte adminiſtrata Republica, atque Civium tranquillitatem cum iuſtitia conciliari facile poſſe arbitror, alterum igitur & inutile & iniuſtum.

De Iuris Praeſcriptione non loquor: nulla enim ratio eſt, cur iure ſuo ſpolietur qui certo temporis ſpatio (1) ſciens,

---

(1) *Vid. Tot. Titul. de Praeſcript.* 30. *vel* 40. *annor.*

volensque ab eius exercitio abstinuit. Lex igitur apud Romanos, nempe simplex legumlatoris voluntas & arbitrium, non naturalis ratio alienat per praescriptionem dominium, & incertum derelictionis argumentum ut verum certumque habeatur, iubet; atque adeo praescriptionem, & usucapionem ad Ius Naturae vel Gentium traducendas non esse liquet.

Sed nodum rursus obiiciunt praescriptionis assertores, qui insolubilis esse videtur; si enim nulla admittatur praescriptio inter Gentes ex diuturna possessione, aut ex derelictione praesumpta, iam omnia incerta, & turbata in Orbe terrarum sint oportet, nec quisquam erit Princeps, aut summus Imperans, qui tutus esse possit in Imperii sui quamvis longissimi temporis possessione; quod quidem cum Gentium tranquillitati adversum omnino sit, id etiam contrarium dicendum est Naturae Legi, cuius mentem & consilium potissimum esse diximus humani Generis felicitatem.

Haec quidem nullo pacto obiicerentur contra sententiam nostram si qui de praescriptionibus scripserunt, Imperia a privatis

praediis probe diſtinxiſſent. Cum enim civile Imperium nec occupatione, nec iis modis, quibus privata dominia transferuntur, acquiratur, Iuriſconſultorum ſententias de Praeſcriptione, aut de vera, vel praeſumpta derelictione Imperio civili aptare abſurdum omnino (1). Quod ut perſpicue appareat noſtra rurſus huc revocemus principia.

---

(1) *Videndum quo pacto ſe torqueat* Grot. *Lib.* 2. *Cap.* 4. *ut regulas Iuriſconſultorum de praeſcriptione inter privatos aptet Gentibus & Populis. Veritas tamen ipſi ſuboluiſſe videtur multis in locis eiuſdem Capitis, quam quidem perfecte fortaſſe aſſecutus eſſet vir praeclari ingenii, ſi Romanorum auctoritatem excutere auſus eſſet, earumque ſententias ad rectae rationis trutinam revocaſſet. Ubi enim agit de nondum natis, quaeritque an praeſumpta derelictio nocere iis poſſit, ſtatuit nullam ipſis fieri iniuriam, nam cum, inquit, a populi voluntate ius regnandi proficiſcatur, ſi populus voluntatem mutat iis qui nondum nati ſunt, ut quibus ius quaeſitum nondum eſt, nullam facit iniuriam. Ex eo principio facilis erat ad noſtram de Praeſcriptione doctrinam progreſſus.*

1. Imperium originarie penes Populum est (1).

2. Ergo nonnisi eo iubente aut saltem tacite vel expresse consentiente acquiritur, aut ab una ad aliam Personam transfertur (2).

3. Translato Imperio quamvis summo, & absoluto ea semper tacita conditio apposita intelligitur, ut Imperans eo iure utatur ad Populi felicitatem, & securitatem comparandam (3).

4 Ergo Imperii substantia in continuo exercitio iuris versatur. Si negligitur, aut derelinquitur non ad occupantem, sed ad Populum redit, vel ad successorem in delatione Imperii a Populo designatum, a quo vel expresse vel tacite consentiente in alium transferri potest.

His probe constitutis perspicue patet veram, aut praesumptam Imperii derelictionem numquam ius parere alicui, ut illud tamquam vacuam possessionem occu-

---

(1) *Vid. Part.* 2. *Cap.* 1. §. 3. *pag.* 216.
(2) *Vid. Part.* 1. *Cap.* 15. §. 8.
(3) *Vid. Part.* 2. *Cap.* 1. §. 6. *n.* 2. *&* 3.

pet, non enim vacuum Imperium dicitur quod derelictum ad Populum illico recidit.

Itaque cum disceptatur inter Gentes an ius Imperii civilis praescribatur nil aliud reipsa quaeritur, quam uter imperet Populo, an praesens, & actualis Imperii pacatus possessor, an alter cui olim ius imperandi a Populo delatum est, & qui eius exercitium aut neglexit, aut quacumque de causa amisit.

Quidnam huc revocantur Praescriptionis regulae? An fortasse libera Civitas praedium rusticum aut urbanum, & Populus adeo vile, & abiectum pecus, ut ei imperandi ius eaedem regulae dimetiantur, quae dominium, aut usumfructum armenti vel gregis?

Is igitur imperium sibi iure vindicat cui tacite vel expresse Populus illud detulit, ei autem detulisse intelligitur, cui positis armis, pacatisque rebus parere non renuit. Nec obstat Ius Imperii delatum a Populo in alium fuisse, atque adeo iniuria eo ab usurpatore spoliari, & iniuria etiam a Populo usurpationem ratam haberi; nam quamvis fortasse usurpatori vi partum Im-

perium sit, non usurpationi legitimum Ius imperandi acceptum refert, sed quasi ex post facto a tacita vel expressa devicti Populi voluntate ius firmum accipit, atque adeo tota eo recidit quaestio, an Populus, quem summus Imperans ab interna vel externa invasione tueri, aut non potuit aut noluit, saluti suae consulere, impotentis aut negligentis Principis Imperio se subtrahere, & aut in libertatem se vindicare, aut novam coire societatem civilem possit. Id alibi Populo indefenso licere diximus (1), atque adeo nullum in eam Populi partem, quae eo pacto quo potuit publicae saluti prospexit, ius superest; utroque enim vel impotentiae, vel negligentiae casu conditionem delato Imperio appositam non implevisse Imperantem dicendum est, atque adeo alteram partem ab obligatione parendi solutam.

Itaque cum Populus iure agat, qui quacumque de causa derelictum Imperium alteri vel tacito vel expresso consensu de-

---

(1) *Vid. Part.* 3. *Iur. nost. Cap.* 1. §. 6.

ferat, reliquum eſt ut armis poſitis, pacatiſque rebus Ius imperandi ad praeſentem ſpectet poſſeſſorem, cui Populus ſciens, volenſque obtemperat, quippe ius ſuum tuetur non longi temporis poſſeſſione, non derelictione praeſumpta, ſed ſubiecti Populi conſenſu, nullum enim legitimum Imperium diximus niſi in conſentientes.

Quid igitur? obiiciunt nonnulli: anne ſimulac violentus iniuſtuſque invaſor Populi partem Regis Imperio ſubiectam occupavit, & per vim a Societatis corpore divulſit, omnis eam recuperandi ſpes abiicienda, nec ius ullum ſupereſt rem ablatam vindicandi?

Diximus Ius Imperii ad praſentem poſſeſſorem ſpectare poſitis armis, pacatiſque rebus, & tacito vel expreſſo Populi conſenſu intercedente (1). Si Pars altera Populi ad

(1) *Nonnulli aiunt numquam ius eiecti Regis extingui, etiamſi ſubditi fidem victori vel uſurpatori ſponte dederint, nam ſi coacti id fecerint vitium, inquiunt, eſt a vi, ſi ſponte a perfidia, atque adeo fides etiam iureiurando confirmata nullum obligandi ius habet. Vid.*

ad arma convolet usurpationem vindicatura, si bellum utrimque geritur omnia incerta, & turbata, & potior est primi possessoris conditio; at postquam arma posita, & pars Populi occupata victoris arbitrio, atque adeo indefensa relicta, ius naturale

---

Henr. Cocc. *in Prodrom. Iur. Gent. Ex.* 2. §. 171. Samuel *Fil. in Dissert. appos. Comment. in* Grot. *Lib. sup. cit.* §. 15. *Argumenti allati fallacia in eo sita est, quod praesumant viri doctissimi ius Regis nunquam extingui posse, atque adeo perfidos esse subditos supponant, qui indefensi, nulloque eiecti Regis praesidio muniti vitae suae consulunt eo pacto quo possunt. Eiecto Rege, & viribus omnino destituto, iam civilis Societas, cuius ipsi delatum fuerat Imperium dissolvitur, & Civitati eidem, sive singulis ius naturale reviviscit sibi, vitaeque suae prospiciendi, & quacumque via expediendae salutis. Huc revocentur quae diximus de iure necessitatis, & nullus arbitror dubitationi locus supererit.*

Quin & ipsi, qui superiorem sententiam de Rege eiecto amplexi sunt, Imperium pacate possidenti iura omnia Maiestatis concedere coacti sunt si non iure Imperii, administrationis saltem iure, & verbis ludere potius, quam veritatem fateri maluerunt. Vid. cit. Dissert. Samuel Cocc. §. 11. *& seqq.*

quodammodo revivifcit, vetus focietas diffolvitur omnino, & derelicto Populo licet vel ad primaevam libertatem redire, vel Imperium publicum cui libuerit transferre. Ex eo tempore antiqui Imperantis ius omne expirat, atque adeo inutiliter omnino quaeritur, an novus Imperans antiqui Principis iura praefcribat, quae penitus extinguuntur, quaeque novo Imperanti accedunt non ex continua poffeffione, aut praefumpta derelictione, fed ex confenfu Populi. Quod de amiffo Imperio diximus ob hoftilem aggreffionem, idem intelligatur oportet & de excuffa (1) tyrannide, & Rege eiecto, & de amiffione Imperii ob voluntariam derelictionem; ex iis enim quae confulto fupra pofuimus principiis manifefte liquet nullum aut derelinquenti, aut eiecto Imperanti ius reliquum effe, & Imperium ad ipfum redire Populum qui de eo difponit ex fententia; cuius Iuris clariffima praebuerunt exempla Helvetii, Batavi, Angli, quorum Maie-

---

(1) *Vid.* Grot. *Lib.* 1. *Cap.* 4. §. 11. *& feqq.*

stas non praescriptioni, non praesumptae derelictioni, sed naturali, aeterno, & immutabili iuri innititur.

Exinde apparet quid sentiendum de iuribus & actionibus, quas nonnulli Europae Reges adversus Populos iamdiu alieno Imperio sponte parentes tamquam sibi debitas vindicant, ut ecce Reipublicae Germanicae non tantum in totam Italiam, sed in universos fere totius Orbis Populos, qui olim Romano paruerunt Imperio (1), Regis

---

(1) Grot. *Lib.* 2. *Cap.* 9. §. 11. *late persequitur quaestionem celebrem, cuius nempe nunc sint quae Romani Imperii fuerunt, & in ea est sententia omnia translata esse in Germanicum Caesarem expresso, vel tacito Populi Romani consensu, quasi vero sub* Carolo Magno, & Othone I. *Populus Romanus idem fuisset qui ante* Augustuli *tempora fuerat; atque adeo asserit eo titulo, nempe Populi Romani consensu Germanicum Caesarem habere quae Imperii Romani fuerant, neque pactionibus, aut derelicti occupatione, aut victoriae iure in aliorum Populorum Imperium concesserunt. Eiusmodi absurdam sententiam merito refutarunt* Gronov. *in not. ad h. l. &* Henric. Cocc. *in sua.*

Angliae in Galliam, Galliae in multas Hiſpaniarum, Luſitaniae, & Italiae provincias. Uno verbo inter omnes fere in Eu-

---

Iuriſpr. publ. Cap. 6. §. 8. *& ſeqq. extra dubium enim positum eſt Romanum Imperium cum* Auguſtulo *omnino extinctum, Populumque Romanum in Gothorum, Vandalorum, Herulorum, Oſtrogothorum, & Longobardorum ditionem conceſſiſſe, ita ut* Caroli Magni *tempore iam inde a quadringentis annis maieſtatem amiſerit, nec in* Carolum, Othonem I. *eiuſque ſucceſſores tranſcribere potuerit Imperium Publicum, quo omnino ſpoliatus fuerat. Itaque manifeſte liquet Imperii Occidentalis iura, quibus Germanici Caeſares fruuntur, & iuri victoriae, & pactionibus, & Populorum conſenſui accepta referenda eſſe, non Romani Populi voluntati, qui iuxta ipsius* Grotii *regulas eſſe desiit Populus iam inde ab eo tempore, quo extincto* Auguſtulo, *vetere Imperio in Occidente ſublato, peregrino iugo ſubactus eſt. Vid. eumd.* Grot. *Lib.* 2. *Cap.* 22. §. 13. *Vid. tamen quae de ea re ſcripſerunt* Bartolus, *&* Alciatus *ad L. Hoſtes* 24. *ff. de Captiv.* Roſelli *De Monarch.* Conring. *De Finib. Imp.* Maſcov. *Princip. Iur. Pub.* Mozamban. *De ſtat. Imper. German. contra quem ſcripsit* Pacif. a Lapide.

ropa praecipue summos Imperantes nullus fere est qui sibi ius Imperii non postulet in aliquem Populum alieno Imperio subiectum (1), ad cuius iuris conservationem & Titulos, & Insignia sibi saepissime quisque vindicat antiquae possessionis indicium, licet multoties ius illud fuerit solemnibus publicisque foederibus in alium Principem translatum, & translatio ipsa tum antiqui Possessoris, tum Populi ipsius iureiurando firmata. Oh utinam tandem inter Europae Reges controversiarum aliquis fiat modus! Oh utinam aliqua innocentis Populi habeatur ratio, & is tantum Princeps dignus sit Orbis Imperio, non qui potentissimus, sed qui ceterorum omnium sapientissimus, maiorique solicitudine humani Generis curet felicitatem! (2)

---

(1) *Iura haec controversa Principum simul collecta inveniuntur ab* I. Roússet. Les Intérêts présens, & les prétensions des puissances de l'Europe.

(2) *Vid.* Mably. Droit public de l'Europ. *P.* 1. *pag.* 4.

Haec dicta volo de Imperii Civilis iure, non autem de aliis iuribus, & actionibus, quae Populo in alium competunt, & quae nullo temporis lapſu praeſcribi poſſunt, niſi probabilem coniecturam, quae ab ipſo temporis lapſu deducitur, tacitus aut expreſſus conſenſus confirmet.

Ceterum eorumdem principiorum, quae ſupra a nobis poſita ſunt, ope facile ſolvuntur quae de Principis adverſus ſubditos, ſubditorum adverſus Principem praeſcriptione quaeſtiones inſtituuntur, quas hic exponere, & explanare inutile omnino (1).

Hoc pacto facile intelligitur ſummi, quod aiunt, Imperii iura praſcriptioni non eſſe ſubiecta; ea enim originarie ſunt iura Populi, qui ſemper idem, ad quem derelicta recidunt, & a quo non Romanarum Legum efficacia, non vi, non lapſu temporis, non violenta quamvis diuturna poſſeſſione divelli poſſunt, ſed ab una ad aliam

---

(1) *Vid.* Grot. *Lib.* 2. *Cap.* 4. §. 12. *& ibi* Gronov. *praecipue praeter ceteros commentat.*

transferuntur personam eo tantum vel expresse, vel saltem tacite consentiente.

Nostram hanc de Praescriptione sententiam Principum fere omnium praxis confirmat; si enim nova sibi comparent Imperia, internae consulunt tranquillitati fidelitatis & obsequii iuramentum a subditis exigentes, externae autem publicis pactis, renunciationibus & cessionibus, ne ad instabile Praescriptionis fundamentum decurrere illis necesse sit.

CAPUT IX.

De Pactis Publicis, & Foederibus Gentium.



§. 1. *Eorum Origo, & Obiectum.*

Eadem privatorum contractuum, & publicorum Foederum origo, idem obiectum & consilium, utrorumque fere subiectum idem; si enim tum homines singuli erga

ſingulos, tum Gentes erga alias naturalia explerent humanitatis officia, vix ullus publicis, aut privatis pactis locus reliquus eſſet, eorum praecipue, quae non in continenti perficiuntur, ſed ius & actionem pariunt in futurum. Sed cum humanitatis officia imperfecte debita ſint, atque adeo incerta, & dubia, neceſſitate exigente, eorum praeſtatio, publicis Pactis perfecte debita fiunt, aut aliquid iuxta varias Populi opportunitates adiicitur Iuri Naturali, vel onere ſibi impoſito, vel cautione data, vel translato aut renunciato aliquo iure (1).

§. 2. *In quo differant a privatis pactis.*

In eo tamen differunt privata a publicis pactis, quod illa inter privatos fiant de

---

(1) *Eiuſmodi ſunt foedera amicitiae, hoſpitii, commercii, pacis &c. ne vectigal ullum, aut ne maius quam in praeſens ſolvatur a Mercatoribus, ut bellum ſit commune, ut auxilia equitum, vel peditum certa praeſtentur, ut obſides dentur, ut tranſitus Genti per terras, & aquas occupatas praebeatur, ut hoſtes & amici habeantur quos velit partium altera, & cetera id genus, quae late expoſita ſunt a* Grot. *Lib.* 2. *Cap.* 15. §. 6. *&* 7.

privatis iuribus & emolumentis, haec inter Populos liberos de rebus publicis, & ad Civitatem vel Gentem universam pertinentibus: illa privatos, haec Civitatem obligant, atque adeo ad Maiestatis iura tum pacis, tum belli foedera pertinent, cuius voluntas Populi, vel Civitatis voluntas esse ex sociali contractu, & summi Imperii constitutione & delatione intelligitur. Summi igitur Imperantes tantum, vel ii, qui ab ipsis legitimam habent causam & speciale mandatum, foedera pangunt, si de rebus publicis agant, si autem de propriis, & privatis, quamvis summi Imperantes sint se ipsos obligant, non Civitatem. Non tamen ex utraque contrahentium parte Maiestas necessaria; si cum privatis, aut subditis aut exteris de rebus publicis Princeps agat, pactum componitur publicum, & foedus percutitur, quod a Civitate servandum (1).

---

(1) *Exemplum esto si aes alienum Civitatis nomine contrahatur, & in debiti securitatem publici obligentur redditus.*

§. 3. *De Sponſionibus minorum Poteſtatum.*

Praeter ſupra memoratas perſonas nemini ius eſt pacta ineundi publica quae Civitatem obligent. Supremi belli Duces, Provinciarum, finiumque defenſores, minoreſque aliae poteſtates, quibus exercitium aliquod ſummi Imperii commiſſum eſt, ea iura omnia habere intelliguntur, ſine quibus munus ſibi demandatum recte adminiſtrare non poſſunt, atque interdum iis iubentibus, ſummoque Imperante inconſulto induciae, ab actibus hoſtilibus ceſſatio, vel, ut aiunt, armorum ſuſpenſio, deditiones iure fiunt, non foedera, aut publica pacta, quae iniuſſu Populi, vel eius Rectoris componere nefas.

Quaeſitum tamen eſt a nonnullis quid iuris, ſi exercitus Imperator, aut Provinciae defenſor aliquid promittat, ſpondeatque ſummam Poteſtatem quod promiſit ratum habituram, in quid nempe teneatur Civitas, in quid ſponſor. Et quidem Civitatem ſine mandato obligari non poſſe liquet, nemo enim ultra voluntatem ſuam obligatur. Quod autem ad ſponſorem attinet diſtinguendum cenſeo, an ſponſor declaraverit non ſe iure

obligandi Gentem munitum, an vero dolo malo promiſſarium deceperit ſimulans ſe facultatem promittendi nomine Gentis a ſumma Poteſtate accepiſſe. Si primum, & aliquid promittitur, quod Rempublicam tangat, idem eſt ac ſi ſponſor polliceatur ſe operam daturum, atque effecturum ut Populus, vel Gens, pro qua promittit, id ratum habeat. Ubi igitur Populo ſponſionem ſuam declaravit, & ſponſionis cauſas exhibuit, fidem ſolvit iudicio Populi relinquens, an ſponſionem ipſam probare, vel improbare velit, nec ultra progreditur obligatio. Si ex improbata ſponſione altera pars, ſeu promiſſarius damnum patitur, ipſe eſt ſui damni cauſa moralis, atque adeo ſponſori non imputandum, qui non ſponſionis ratihabitionem promiſit, ſed operam tantum daturum, ut rata haberetur.

Si vero alterum, & ius obligandi Gentem quod non habuit prae ſe tulit ſponſor, alterumque decepit Populum, in id teneri quod intereſt negotium illud ratum non habitum fuiſſe ambigendum non eſt; damnum enim dolo ſponſoris datum a ſponſore ipſo ſarciendum,

atque adeo decepti populi eadem iura ſunt in ſponſorem, quae eſſe diximus in hominem, qui deliquit in Territorio, vel dolo aut culpa damnum dedit, & exinde apud aliam Gentem ſe recepit. Dedendum igitur cenſeo doloſum fraudolentumque ſponſorem, eiuſque bona tradenda a ſummo Imperante decepto Populo, ut & damnum eo quo fieri poteſt pacto reparet, & poenam criminis ſumat.

Hiſce regulis & Caudina (1) & Nu-

---

(1) *Vid.* Tit. Liv. *Hiſt. Lib.* 1. *Conſules declararunt Samnitibus nullam sibi eſſe foederis faciendi facultatem*. *Idem* Livius = Cum de foedere victor agitaret, negarunt (Conſules) iniuſſu Populi foedus fieri poſſe = Itaque non foedere pax Caudina, ſed per ſponſionem facta = Propter neceſſariam foederis dilationem obſides etiam D C. equites imperati, qui capite luerent, ſi pacto non ſtaretur =.

Rhetoris igitur potius ſunt quam Philoſophi quae a Poſthumio *Conſule, & a* Pontio *Samnitium Imperatore dicta refert* Livius, *nam nec Conſules dedendi Samnitibus erant, nec* Pontius *audiendus, qui poſtulabat ut Romanus exercitus improbato foedere, intra*

mantina (1) ſponſio diiudicanda, de quibus tam variis ſententiis, & in Senatu Romano, & apud noſtri Iuris-Conſultos eſt diſceptatum, iiſdemque regulis ſponſionum, quae a minoribus Poteſtatibus fiunt validitas eſt ponderanda; eas enim quandoque a ſumma Poteſtate improbatas fuiſſe, & vetera,

---

furculas Caudinas denuo deduceretur. Vid. Pufend. *Lib.* 8. *Cap.* 9. §. 12. Grot. *Lib.* 2. *Cap.* 15. §. 16. & 17. Cocceium *ſen. ad h. l. Omnes poſt* Grotium *arbitrantur ſponſores Caudinae pacis obligatos fuiſſe ad id quod intererat ex vi negotii ratum haberi.* L. Livius & Q. Maelius *Tribuni Plebis urgebant reſtituendam rem in eum ſtatum, in quo erat ante ſponſionem: Senatus Romanus corpora ſponſorum dedenda cenſuit. Fuere autem ſponſores Conſules duo, Praefecti* IV. *Tribuni* XII. *Ex noſtris Principiis patet quae fuerit ſponſorum obligatio, atque adeo relatas ſententias rationi non eſſe conſentaneas. Vid.* Thomas. *Diſſert. De Sponſion. Romanor. Caudina & De Sponſion. Roman. Numantina. Vid.* Cic. *De Off. Lib.* 3. *Cap.* 30.

(1) *De ſponſione Numantina videndus* Plut. *in* Tiber. Gracch. *Cap.* 6. Luc. Flor. *Lib.* 2. *Cap.* 18. *L.* 17. *ff. De Legation.* Hoſtilius Mancinus ſponſor deditus eſt, & a Numantinis non acceptus.

& recentia non deſunt exempla (1).

---

(1) Aulus *foedus fecit cum* Iugurtha *Numidarum Rege. Sponsio eſt a Senatu Romano improbata, &* Aulus *Regi deditus.* Saluſt. *in Iugurth. Cap.* 39. = Dein *Iugurtha* poſtero die cum *Aulo* in colloquio verba facit: tametſi ipſum cum exercitu fame, ferroque clauſum teneret, tamen ſe memorem rerum humanarum, ſi ſecum foedus faceret incolumes omnes ſub iugum miſſurum, praeterea uti diebus decem Numidia decederet. Quae gravia quamquam, & flagitii plena erant, tamen quia mortis metu nutabant, ſicuti Regi libuerat pax convenit. = *Et infra* = Senatus uti par fuerat decernit ſuo atque Populi iniuſſu nullum potuiſſe foedus fieri =. *Quod pepigerat Tremolliae Dominus Burgundiae Rector cum Helvetiis ratum non habuit Rex Galliae Aloysius* XII. Guicciard. *Hiſt. Lib.* 12. Maſſon. *Lib.* 1. *in* Ludovic. XII. Lettres de Louis XII. *Tom.* 4. *pag.* 222. Barre Hiſtoir. d'Alemagn. *ſub ann.* 1513. Du mont. Corps Diplomatique *Tom.* 4. *P.* 1. *pag.* 715. *Idem dicendum de Matritensi Pacto* 25 *April.* 1621. *de Ratisbonensi inter Regem Galliae Aloysium* XIII. *& Ferdinandum* II. *Caeſarem* 13. *Octob.* 1630. *& de Pacis praeliminaribus articulis, quos ſupremus Belli Dux Comes* Walliſius *obsignaverat agens cum Turcis* 1. *Septembris* 1739 *ſub Carolo* VI. *Vid.* De Real. Science du Gouvern. Droit des Gens. *Cap.* 4. §. 4. *pag.* 645.

Ut igitur fraudibus, & dubiae tam summarum, quam minorum Potestatum fidei obviam eatur mos invaluit inter Gentes, ut non prius foedera, & pacta publica a ministris Imperantium eorumque nomine facta valeant, quam ab ipsis probata, & confirmata fuerint, atque adeo ipsa ratihabitio ad Pacti publici essentiam, ut scholae aiunt, pertinet, ita ut Principum ministri quamvis plena muniti potestate potius ad agendum, quam ad promittendum electi videantur (1); neque id improbandum, decet enim ut Reipublicae libertas privati hominis arbitrio, negligentiae, aut malitiae non temere committatur.

---

(1) *Attamen si Princeps plenam gerendi potestatem ministro dederit, & quod actum est rescindere velit, quod fortasse arcani mandati fines egressus sit, causam publice declaret oportet, ministrum imprudentem dedat, & Principem deceptum indemnem praestet. Haec quidem iuxta Gentium consuetudinem non necessaria, utilia tamen ad integritatis famam servandam, qua una & amicitiae coluntur, & Reipublicae vera augetur potentia. Vid.* Vicq. Ambassad. *Lib.* 2. *sect.* 15.

Haec tamen intelligenda non ſunt de iis, quae minores Poteſtates promittunt intra fines facultatis a ſummo Imperante conceſſae habita publici muneris ratione, nam ea valent ſimul ac promiſſa ſunt nullaque Principis ratihabitione intercedente (1).

§. 4. *De Officiis generalibus Gentium circa foedera, & pacta publica.*

Cum Gentes inter ſe haberi poſſint, tamquam perſonae morales in ſtatu naturali viventes ea omnia, quae ſupra de Officiis compromittentium, de validitate, ſanctitate & fide pactorum diximus, eo magis hic valent, quo Foederum ſubiectum praeſtantius, eorumque nocentior violatio. Si vero de verborum ſignificatione, quibus compromittentes uſi ſunt, controverſia exoriatur, rectae interpretationis regulis, quas ſupra tradidimus, lis oborta eſt dirimenda, in fide enim quid ſenſeris, non quid dixeris recogitandum. Si alteruter eas admittere renuat, & iuxta ſententiam ſuam verba foederis interpetrari velit, iniuriam facit, iuſtamque

---

(1) *Vid.* Vicq. Mém. touch. les Ambaſſ. *pag.* 565. *edit.* 1677.

stamque praebet Belli causam, ius enim est promissario promissorem cogendi ad id quod recta suggerit interpretatio.

§. 5. *De Conditione tacita quae foederibus apposita intelligitur.*

Quamvis foedera, & pacta publica sancte servanda esse diximus, attamen si Populus Populo officium aliquod humanitatis promisit, puta auxilia peditum, equitum, navium aut ad omne aut ad certum Bellum, frumenti aut cibariorum praestationem annuam, & cetera id genus, necessitatis casum excepisse praesumitur, ita ut si hostilis incursus immineat, si summa sit apud eum annonae penuria ad promissa implenda non teneatur; quamvis enim & res & iura propria in alium transferre licitum, tamen in officiorum collisione obligatio suspenditur cum nemini concessum sit ea alienare, sine quibus aut conservatio, aut defensio sui sit impossibilis (1), atque

(1) Id est quod aiunt Iuris Consulti contractibus omnibus appositam intelligi clausulam „ rebus sic stantibus „ *ita ut si status negotii mutetur quod ad substantiam, seu*

adeo & promiſſor ipſe neceſſitatis caſum excipere voluiſſe legitime praeſumitur.

---

quod ad accidentia, ut Scholae aiunt, ſubſtantialia, & quae ſi cogitaſſent compromittentes numquam contractum inituros manifeſte apparet, contractus irritus ſit. Eiuſmodi clauſula innititur L. 3. §. ſin. ff. De his quae pro non ſcript. ubi ſtatuitur tolli rem vel negotium cum in eam cauſam pervenit, a qua incipere non poterat. Vid. L. 6. §. 5. & ſeqq. ff. De iniuſt. rupt. irrit. teſtam. L. 83. §. 5. ff. De verb. obligat. L. 8. 18. ff. Qui teſtam. facer. §. 3. & ſeqq. Inſtit. tit. Quib. non eſt perm. fac. teſt. Multa tamen quae derivata aiunt ab eiuſmodi clauſula, quae in ſua generalitate errandi cauſam facile praebere, & cavillationibus perfidiam tegere poſſet, reipſa a neceſſitatis iure dimanant, quo vocabulo hic loci non tantum phyſicam, ſed & moralem neceſſitatem intelligimus; vel enim tollitur, vel ſaltem irritum negotium redditur, quod manifeſte pateat compromittentes aſſenſum non praebituros fuiſſe, ſi eum in quem negotium incidit caſum reſpexiſſent. Vid. Henric. Cocc. *Diſput. De clauſ.* rebus ſic ſtantibus *Cap. 2. §. 1. & ſeqq. & Cap. 3. §. 1. & ſeqq. Quapropter concinne, & ſapienter notat* Grot. *Lib. 2. Cap. 14. §. 12. n. 4.* = Si quo caſu contractus incipiat vergere non ad damnum modo aliquod,

§. 6. *De eadem re duobus vel pluribus Populis promissa (1).*

Si idem uno eodemque tempore praestare quis possit pluribus, quin id valide promittat vix ambigendum, ut ecce hospitium, transitum pacatum per territorium, mercium exportationem &c. At si temere id promissum sit pluribus, cuius praestatio eodem tempore impossibilis, eum liquet praeferendum cum quo antiquius est foedus, nullum enim, & invalidum posterius foedus, quod sit antiquiori contrarium, nec promissor ius, quod iam alienavit, in alium

---

sed ad perniciem publicam, ita ut ab initio contractus in extensione ad illum casum censendus fuisset iniustus, & illicitus, tunc non tantum revocari eum contractum posse, quam declarari eum non ultra obligare, quasi factum sub conditione, sine qua iuste fieri non potuit =.

(1) *Vid.* Grot. *Lib.* 2. *Cap.* 15. §. 13. *& seqq. qui distinguit inter Bellum iustum, et iniustum, et iniustum Bellum gerenti non praestanda auxilia docet. Nos suo loco ostendemus de causa Belli neminem licite cum effectu saltem externo iudicare posse.*

transferre potest. Sic societas bellica cum pluribus contrahi potest, certumque auxilium promitti: attamen si plures foederati bellum gerant, nec omnibus (1) auxilia mitti possint, illi opem ferat promissor oportet, cum quo societas & amicitia antiquior, posteriores enim ea conditione initae intelliguntur ne antiquiores violentur.

§. 7. *De variis foederum modificationibus.*

Ceterum quae inter Gentes panguntur foedera, aut idem statuant cum Iure Natu-

---

(1) Illud hic animadvertendum censeo an foederati bellum inter se gerant, an cum extraneis, si inter se, antiquiori tantum mittenda auxilia arbitror a promissore, quamvis utrique opem ferre posset; promissum enim auxilium nullum omnino esset, si parem opem et posteriori foederato praestaret, atque adeo ius ex primo quaesitum antiquiori auferret, quod est contra compromittentium fidem. Ita Romani Campanis foedere iunctis contra Samnites auxilia petentibus responderunt apud Liv. *lib.* 7. *Cap* 31. „ Ita vobiscum amicitiam colere par est, ne qua vetustior amicitia, & societas violetur. Samnites nobiscum foedere iuncti sunt „. *Vid.* Flor. *Lib.* 1. *Cap.* 26.

rae, aut ei aliquid addant, ex libera paciſcentium voluntate modum & menſuram accipiunt, quae ſi nec fraus nec dolus intercedat utrimque ſancte ſervanda, nec contrahentibus alia impoſita a Lege Naturali officia ſunt, quam quae ad compromittentes pertinere diximus.

§. 8. *Conſectaria*.

1. Vel paribus igitur vel imparibus fieri poſſunt foedera legibus, ita ut vel utrimque eodem modo ſe habeant, vel maius alterutri onus imponant, vel minora tribuant emolumenta, & uti convenerunt contrahentes ita ius eſto: prima aequalia, altera inaequalia foedera dicuntur, aequalitatem vero mutuarum praeſtationum aequivalentia conſtituit.

2. Si in foedere inaequali, aut res aut operas Populus promittat, nec eadem reddi ſibi reſtipuletur, ut in foedere belli auxilia, in pacis vero exportationem ſuarum mercium, vectigalium abolitionem, annuum tributum, nec pars altera quid repromittat, non ideo imminutum dixeris promittentis Imperium, cuius integritas in eo potiſſimum ſita eſt, ut in Reipublicae admini-

ſtratione a nullius arbitrio pendeat; quamvis autem ad quid agendum vel non agendum ſe obligaverit cum potentiori Populo, & onera aut tranſitoria, aut manentia ſibi impoſuerit (1), dummodo iura Imperii non alienaverit, Maieſtatem retinet intactam, quae enim alteri praeſtat certa ſunt, & ex libera paciſcentis voluntate, non ex alieno Imperio deſcendunt, quod & alibi notavimus (2).

3. Exinde manifeſte liquet ſi nullum in contrahendo foedere vitium interfuerit, illud quamvis inaequale (3), & ex alteru-

---

(1) *Ex. gr. Ut arces vel moenia diruat, ne ultra certos fines naviget, ut niſi certum navium numerum habere poſſit, ne cui tranſitum, aut commeatum concedat, ut ſtipendium ſolvat &c. quorum omnium exempla apud Polybium & Livium frequentiſſima ſunt. Vid.* Gronov. *ad* Grot. *Lib.* 2. *Cap.* 15. §. 7. *n.* 3.

(2) *Vid. Iur. noſtr. P.* 3. *Cap.* 1. §. 5. *Ius maieſtatis alienavit Populus Carthaginenſis in ſecundo foedere cum Romanis, in quo pepigit ne cui bellum faceret iniuſſu Populi Romani. Vid.* Livium *Lib.* 30. *Cap.* 37.

(3) *Vid.* Grot. *Lib.* 2. *Cap.* 13. §. 12.

tra parte onerosum valere, datamque fidem inviolabiliter servandam, tum quod Romanas Regulas de enormi laesione in Iure Naturae vim nullam habere diximus, tum quod Populi foedera ineuntes non mutuarum praestationum aequalitatem, sed sui conservationem, & securitatem potius respiciunt, & ea quae multoties privatum praeseferunt damnum publicam habent utilitatem. Quia tamen eadem officia esse diximus publicorum privatorumque compromittentium, cavendum est ne in foederibus inaequalibus altera pars plus aequo oneretur, nec promissiones acceptandae, quae in externae Reipublicae perniciem vergant, tum quod aliena felicitas pro viribus promovenda, tum quod ex aliena levitate, aut temeritate emolumentum capere iniustum, & inhumanum est. Sed cum promissarii non sit inquirere iure externo an promissor matura animi deliberatione ad foedus componendum accesserit, promissum ratum sit oportet, & ex eo ius quaesitum per vim exigere externe saltem non iniustum, si nullum in paciscendi modo vitium irrepserit.

§. 9. *De Foederum duratione.*

Cum foedera pacta publica ſint a Populo libero, ſive eius Rectore tamquam publicae voluntatis legitimo interprete inita, ea per ſe perpetua eſſe, vel faltem tamdiu manere, quamdiu Populus idem permaneat patet.

§. 10. *Conſectaria.*

1. Si igitur ſtatus Civitatis in Regnum, ſi Regnum in Democratiam, aut Ariſtocratiam immutetur, cum idem corpus ſit, quamvis mutato capite, Foedus valet.

2. Nec intereſt an contractum ſit cum Rege vel cum Populo; nam ſi de rebus publicis, & Populi ſibi commiſſi cauſa egit in foedere, tamquam Caput Civitatis egiſſe Rex intelligitur, Populumque obligaſſe (1), niſi aliter expreſſis verbis cautum ſit, aut pactum ſit Regis privatum.

---

(1) *Vid. Not.* Barbeyrac. *ad* Hug. Grot. *Lib.* 2. *Cap.* 16. §. 16. Thomaſ. *Iuriſpr. Divin. Lib.* 3. *Cap.* 5 §. 27. *Vid.* Pufend. *Lib.* 8. *Cap.* 9. §. 7. *&* 8. Cocc. *Iun. & ſen. ad* Grot. *loc. cit.*

Supervacanea igitur eſt foederum diviſio in perſonalia, & realia, quae potius dicenda ſunt *perpetua*, vel *ad tempus* nulla habita perſonae contrahentis ratione (1). Si vero dubitetur an foedus aliquod perpetuum ſit, vel ad tempus, ad rectae interpetrationis normam controverſia eſt dirimenda.

§. 11. *An Foedera cum iis Populis, qui a vera Religione alieni ſunt, iniri poſſint.*

Cum humanitatis officia omnibus omnino hominibus debita ſint ſine ullo Religionis diſcrimine, eaque conferre non tantum liberum & laudabile, ſed etiam communi Naturae Lege praeceptum, cum Foedera per ſe ſi iuſta, ſi naturali Legi conformia nil aliud ſint quam ſocietates ad mu-

(1) *Non igitur probe ſtatuiſſe dicendus eſt* Grotius *loc. cit. n.* 3. *quod ſi pares fuerint in utrumque coniecturae, ut nempe & perſonale, & reale interpretari poſſit, ſuperērit ut favorabilia foedera credantur eſſe realia, odioſa vero perſonalia. De incerta hac diſtinctione diximus ſupra P.* 1. *Cap.* 14. *Reg.* 6. *pag.* 73.

tuam beneficiorum praeſtationem initae, ea cum omnibus Gentibus pangere non tantum licitum, ſed etiam non neglectis officiis erga ſe praeceptum eſſe manifeſte liquet, quamvis diverſa colant ſacra, falſamque religionem profiteantur; ius enim hominum ad aliorum beneficia non exinde ortum ducit, quod Religionis conſortes, ſed quod homines tantum ſunt, quibus una eſt Lex Naturalis communis. Nec obſtat quod in ſocietate bellica interdum arma profana in Chriſtianae Religionis ſectatores converti poſſint, ſaluti enim ſuae conſulere, iniuriam repellere, iuſtitiam aſſerere, defendere, vindicare, & in bello iuſto opem aut ferre, aut expoſcere contra hoſtem undecumque licet, naturalis enim eſt inter homines, & latiſſime patens coniunctio (1), quae nullo diſſolvitur

---

(1) Cic. *De Off.* 2. *De Finib.* 3. *Vid.* Senec. *De Ira Lib.* 1. *Cap.* 5. *De Clem. Lib.* 2. *Cap.* 16. *Vid. L.* 3. *ff. De Iuſt. & Iur.* Grot. *Lib.* 1. *Cap.* 5. §. 2. „ Sed ut alteri prodeſſe qua poſſumus non licitum modo, ſed & honeſtum eſt .... Sed ut cetera

Religionis discrimine, nec interest an exteris, & paganis, vel fraternis christianisque armis pereat, quem necessitate exigente interficere licet. (1)

§. 12. *De Foederum dissolutione.*

Pacta publica a privatis non differre multoties diximus, atque adeo mutuo ineuntur consensu, dissensuque mutuo dissolvuntur. Et cum praestationes mutuae tamquam conditiones (2) promissis appositae haberi possint, si alterutra pars foedus violet, alteram a fide servanda liberasse patet, nisi potius velit quod sibi debetur per vim exigere; ad utrumque enim ius perfectum habet, ut nempe vel discedat a foedere, vel armis compellat infidelem, ut quod promiserat praestet.

---

desint vincula sufficit humanae Naturae communio. *Vid.* Grot. *Lib.* 2. *Cap.* 25. §. 6. *Lib.* 2. *Cap.* 20. §. 40. *Vid.* Real. Dr. des Gens. *Cap.* 3. *sect.* 9. *pag.* 677.

(1) *Qui igitur huic iuri fines statuuntur a* Grot. *Lib.* 2. *Cap.* 15. §. 11. *vel intolerantiam sapiunt, vel ad prudentiam spectant politicam, non ad Iustitiam.*

(2) *Vid. P.* 1. *Cap.* 10. §. 11.

At ſi plures fuerint mutuae praeſtationes in iiſdem Tabulis condictae, & altera pars unam tantum implere recuſet, ſervetque in ceteris omnibus fidem, poterit ne altera a toto foedere diſcedere? Et quidem non poſſe arbitror niſi neceſſitate exigente, ſcilicet poſtquam manifeſte appareat ſoluti foederis culpam ſuſtinere, nec iniuriam reparare velle peccantem; ſi enim requiſita pars delinquens reparationem detrectet, & proteſtationes de toto ſolvendo foedere negligat omnino, iam in ſolutionem quodammodo conſenſiſſe videbitur. Tunc a toto foedere iure recedet ſi velit pars fidelis, & retributionem pro ſervata foederis parte negabit. Si vero ex receſſione maius quam dederit damnum patiatur pars delinquens illud ſponte ſubiiſſe praeſumitur (1).

Item diſſolvuntur foedera alterutrius foederati, vel contrahentis Populi morte; moritur autem Populus cum Maieſtatem amittit, non cum in clientelam, & patrocinium

---

(1) *Vid.* Grot. *Lib.* 2. *Cap.* 2. §. 15. *et Lib.* 3. *Cap.* 20. §. 35.

Gentis potentioris transit, quod & supra (1) adnotavimus.

CAPUT X.

De Accessoriis Foederum ubi de Guarantigia, Pignore, & Obsidibus.

§. 1. Cum Populi eorumque Rectores summi neminem habeant violatae fidei vindicem, & cum ex violatione non privatorum aut iura, aut capita, sed Rerumpublicarum salus periclitetur, fidem paciscentium Regum sanctissimis, arctissimisque vinculis semper fuisse obligatam vetera Historiae monumenta manifeste declarant. Sic apud Romanos per Feciales, Patremque Patratum, apud ceteras Gentes per Sacerdotes non sine victimis, & Deorum invocatione, qui perfidiae vindices essent, foedera percussa solemni iureiurando firmata sunt horrendis additis malorum impre-

---

(1) *P.* 3. *Cap.* 1. §. 5.

cationibus capiti eius, qui peieraſſet (1). Sed nec ſatis firma Regum fides viſa eſt divinae irae timore: Cives ditiſſimi potentiſſimique licet paciſcentis Regis ſubditi advocati ſunt quaſi fideiuſſores, & iuramento obligati ut pacta conventa tuerentur, & in perfidum Regem arma verterent tamquam in publicum hoſtem (2). Tandem haec Gentium inſtituta, quae non ſine quadam Maieſtatis iniuria, & contumelia invaluerant, exulare

(1) *Vid.* Diſſertation ſur les diverſes Cérémonies qu'ont employé les différentes Nations dans les Traités de Paix, d'alliance &c. *quae invenitur apud* Dumontium *Tom.* 1. Corps univerſel Diplomatique &c. pr.

(2) *Eiuſmodi ſponſores vel Fideiuſſores* Conſervatores *vocabantur, et ut plurimum vel Regni principes viri erant, vel etiam Urbes quandoque. Vid. Foedus Pacis Auguſtomagenſe inter* Carolum VIII. *Galliae Regem, et Caeſarem* Maximilianum, *et Archiducem* Philippum *eius Filium* 23. *Maii* 1493. *Eiuſmodi exempla complurima afferuntur a* Dumontio *lib. cit. occaſione bellorum quae diu inter Gallos et Anglos, et Gallos et Burgundiones fuerunt. Vid.* De Real Dr. des Gens *Cap.* 3. *ſect.* 8. §. 2.

iuſſa ſunt, & cautionis loco Guarantigiae inventae de quibus agendum.

Guarantigia (1) igitur eſt Pactum publicum, quo unus vel plures Populi foederi accedentes contrahentibus promittunt foederis obſervantiam; atque adeo a ſimplici fideiuſſione differt, quod fideiuſſor factum proprium promittat ſub conditione ſi principalis debitor aut nequeat, aut nolit fidem ſolvere, qui autem Guarantigiam praeſtat factum alienum promittit, ſpondet enim tertium aliquem fidem quam dedit ſervaturum.

---

(1) Primum Guarantigiae exemplum habetur in Tractatu Bleſenſi inter Aloyſium XII. *Galliae Regem, &* Ferdinandum *Aragoniae* 12. *Octobr.* 1505. *Ibi* „ Rogabunt dicti Chriſtianiſſimus, & Catholicus Reges Sereniſſimum Angliae Regem, quod huius Pacis, fraternitatis, & ligae conſervator exiſtat „ *Quod denuo factum eſt anno* 1508. *in Tract. Cameracenſi inter eumdem Galliae Regem, &* Maximilianum *Caeſarem. In eo enim & Angliae, & Aragoniae Reges, & Imperii Principes fuere* „ Pacis conſervatores, & fideiuſſores, ita ut aſſiſterent ei qui praedicta obſervaverit contra alium non obſervantem „.

Guarantigia autem *generalis* dicitur ſi ad omnia, *ſpecialis* ſi ad nonnulla tantum foederis capita extenditur.

§. 2. *Conſectaria*.

1. Si igitur contrahentium aliquis, vel dictis ſtare renuat, vel aliquo pacto fidem violet, illud erit promiſſoris Guarantigiae officium, ut requiſitus opem omnem quam poteſt parti praeſtet fideli, ut ius ſuum exſequatur, atque adeo Guarantigia per ſe auxiliorum praeſtationem includit, quae niſi praebeat promiſſor ad id quod intereſt tenetur, quod per vim exigi poteſt.

2. Si plures Populi viciſſim inter ſe ſpondeant ſe alicui Guarantigiam praeſtituros, & eidem vel ſinguli vel in ſolidum promittant, omnes promiſſa ſuppeditabunt auxilia, & unicuique compromittentium ius eſt per vim cogendi reluctantem ut fidem ſervet; non tantum enim ſinguli erga tertium, ſed ſinguli inter ſe obligationem contraxerunt.

3. Non multis abhinc annis in Europa potiſſimum mos invaluit ut paciſcentes Populi compromittant invicem, ut alter alterius Dominium, & Imperium contra omnes defen-

defendat, & tueatur. Foedera fere omnia Pacis quae a ſeculi XVIII. initio ad haec uſque tempora percuſſa ſunt hanc habent ex utraque contrahentium parte ſolemnem quaſi poſſeſſionum cautionem. Perperam tamen Guarantigia dicitur, qua factum proprium non alienum promittitur, & quae potius ad foedus defenſivum accedit, civilemque evictionis praeſtationem imitatur.

§. 3. *De Pignoribus, & Hypothecis Gentium.*

Pignora etiam, & Hypothecae quaſi publicae fidei firmamentum inter Gentes, ut & inter privatos obtinent, iiſdemque quas alibi expoſuimus legibus reguntur, & a reali ut ita dicam fideiuſſione non differunt. Pignori autem & Hypothecae ſubiiciuntur ea omnia, quae in publico, vel ſaltem eminenti dominio ſunt Gentis ſive res ſint, ſive iura, ut ecce, bona domanalia, pars territorii, redditus publici, & privata etiam Principis vel ſubditorum pretioſa ſupellex in pignus traditur, pro cuius luitione privata Civium omnium bona obligantur pro rata, ſi publicam cauſam contractum debitum reſpiciat.

Sunt qui aſſerunt, & Imperii partem oppignorari poſſe a Principe, quod negamus, niſi Populi, cuius intereſt, conſenſus accedat; nam quamvis Civium omnium bona in totius Populi vel Civitatis dominio eſſe praeſumantur, ita ut de iis neceſſitate exigente diſponere ex ſententia poſſit, illud tamen ius exinde manat quod ſinguli fidem dederint ſe bona, & vires proprias collaturos ad Civitatis conſervationem, cuius Imperio tantum ſe obtemperaturos ſpoponderunt. Non igitur ius eſt Civitati eiuſque Rectori ſociorum partem cogere ut alieno pareat Imperio, nullum enim legitimum imperium diximus niſi in conſentientes. Bona igitur Domanalia Provinciae, publicos redditus licite Creditori oppignorabit Princeps, addita etiam Antichreſi, publicorumque reddituum perceptione ei tradita, Imperium autem nullo pacto pignori dabit niſi Populo de quo agitur conſentiente.

Si tamen Populus ad tempus potius Creditoris ſubire Imperium velit, quam a Civitate in perpetuum divelli, tunc creditor Imperium arripiet quale apud Civitatem oppignorantem erat, iiſve legibus Im-

perio utetur, quae in eius traditione utrimquae condictae ſunt.

Hoc pacto & Urbes, & Provinciae in Europa potiſſimum pignori exteris Gentibus datae, & Imperium Civile in Creditorem translatum eſt: luitio tamen pignoris licita ſimul ac id praeſtetur pro quo Pignus ſuppoſitum; ſimplici enim lapſu temporis nec iura, nec obligationes extingui alibi diximus.

Quaeſitum eſt an ſoluto debito pro quo Pignus traditum, illud retinere poſſit Creditor pro alio debito, quod interea temporis contractum eſt, cuiuſque ſolvendi dies iam venerit, & retineri poſſe dicimus (1). Cum enim Creditori naturale ſit pignus in bonis debitoris, ita ut ſi dies ſolutionis venerit, ea invadere iure poſſit, multo magis rem oppignoratam pro alio debito licite retinebit, niſi expreſſis verbis in conſtitutione pignoris cautum fuerit, ut ſoluto debito, pro quo traditum erat, illico reſtitueretur.

---

(1) Vid. L. un. Cod. Etiam ob Chirographariam pecuniam pignus teneri.

§. 4. *De Obſidibus*.

Interdum loco Pignoris non res aut iura propria, ſed Perſonae traduntur creditori in debiti ſecuritatem, quae obſides dicuntur, & quorum libertas a ſummo Imperante oppignoratur tantum, non vita, cuius penes neminem arbitrium, atque adeo nec penes Principem; quamvis enim ipſi ius ſit reos morte afficiendi, id potius neceſſitatis iuri, & inculpatae tutelae, quam Civium conſenſui acceptum referendum eſſe alibi diximus, quod & verum eſt quoties in diſcrimen vitam adducere licet. Cum igitur nec ſummus Imperans in vitam Civis, nec obſides ipſi in propriam ius cuiquam dare poſſint, reliquum eſt, ut ſi data fides violetur obſides tamen necare illicitum ſit, tum quod in id conſentire non poterant, tum quod hominem interficere niſi ob publicam vel privatam tutelam Lege vetitum naturali (1). Non deſunt tamen

(1) *Cum poenae proprie dictae locus non ſit in ſtatu naturali nulla eſſe poterit ratio cur obſides interficiantur; niſi tantus eſſet obſidum numerus, ut eos cuſtodire ſine Reipu-*

antiquae sevitiae, & crudelitatis in obsides exempla (1), quae a sequioris aevi Philosophis verioris sapientiae sectatoribus omnino improbata sunt, quamvis sint adhuc, & nostris temporibus qui (2) hoc atrox & im-

---

blicae periculo aut incommodo nefas esset, tunc enim & captos, & obsides necare non illicitum, non quod obsides in mortem consenserint, sed iure necessitatis, quae sola vim licitam reddit. Huc accedit quod cum eorum mors non sit medium ad cogendam Gentem opportunum ad debiti solutionem, mors erit omnino illicita.

(1) Olim apud Graecos, et Romanos licitum fuisse vel sibi ipsi vitam adimere, vel adimendam obligare certum est. Vid. Grot. *lib.* 2. *Cap.* 21. §. 11. *n.* 2. *not. K. Cap.* 15. §. 16. *n.* 3. *Lib.* 3. *Cap.* 2. §. 6. *et Cap.* 4. §. 14. *Sic apud* Liv. *Lib.* 9. *Cap.* 5. *Obsides* 600. *dati, qui capite luerent si pactis non staretur in sponsione Caudina. A Thessalis interfecti sunt ducenti quinquaginta.* Plut. *De Clar. Mulierib.* Liv. *Lib.* 2. *Cap.* 16. *a Romanis Volsci Aurunci ad trecentos.* Diony. Halicarn. *Lib.* 6. *Cap.* 30.

(2) Samuel Cocceius *ad* Grot. *loc. cit. immanem hanc sententiam defendit, & praecipue in Dissert.* 12. *ad* Grot. §. 848. *Vide quae contra hanc sententiam scripsimus in Lib. sing. De Licent. in Host. Cap.* 13.

mane ius defendere auſi ſunt ex eo quod ſi data fides violetur a Principe, obſides quia ſubditi Principis factum probent, aut ſaltem probare debeant, atque adeo hoſtes ſint, & eo nomine mortem mereantur, quaſi vero inermem hoſtem, & profligatum, & a nocendo alienum interficere liceat. Sed de hac nonnullorum immani ſententia infra agemus.

§. 5. *Qui, et a quo Obſides dari poſſint.*

Civitati eiuſque Rectori tantum Poteſtas, ſive Imperium eminens competit in Cives omnes, ei igitur ius tradendi obſides, eorumque bona & libertatem utilitate aut neceſſitate publica exigente oppignorandi, dummodo Cives (1) ſint nulla habita aetatis, ſexus, dignitatiſve (2) ratione; omnes

---

(1) *Non ergo Vaſſallus obſes dari poteſt a Domino*. Grot. *Lib.* 3. *Cap.* 20. §. 52.

(2) *Sic Parthi liberos Regis*. *Tacit. Annal.* 12. *Cap.* 10. *et* Simon *Machabaeorum unus fratris liberos* Triphoni *obſides dedit*. Machab. 13. 16. Cloelia *obſes data a Romanis notiſſima eſt*. *Vid.* Sueton. *in Caligul. Cap.* 19. 45. Appian. Syr. *pag.* 116. *qui narrat* Demetrium *Filium* Seleuci *Philo-*

enim eodem obſtringuntur obligationis vinculo. Minores etiam interdum Poteſtates, quibus nonnulla commiſſa ſunt exercenda ſummi Imperii Iura, ut ſummi exercitus Duces, in quibuſdam belli conditionibus legitime obſides tradunt.

§. 6. *Conſectaria*.

1. Cum Obſides loco pignoris ſint, nullum in eos Creditoris ius niſi poſtquam dies ſolutionis venerit. Tunc aut ſervi fiunt ex pacto, aut liberantur, ſi fidem datam debitor ſolverit.

2. Obſides in unam cauſam dati poſſunt ob aliam detineri, ſi tamen fides iam violata, & dies ſolutionis venerit, ut in pignore diximus; idem enim ius, quod

---

patoris obſidem datum. *De* Cloelia Livius *Lib.* 2. *Cap.* 13. *Non deſunt, et apud recentiores eiuſmodi exempla*. *Vid.* Thuan. *Lib.* 1. *p.* 11. Camden. *Hiſt. Angl. P.* 2. *pag.* 189. Franciſcus I. *Rex Galliae filios ſuos obſides dedit* Carolo V. *Hiſpaniarum Regi*.

competit creditori in bona debitoris Populi, extenditur etiam ad perſonas, iure *repreſaliarum*, de quibus ſuo loco dicemus; atque adeo non ut obſides ob ſecuritatem contracti debiti, pro quo pignori dati non ſunt, ſed ut ſubditi debitricis Civitatis detinentur; magni tamen animi eſſe puto obſides libertate donare ſimul ac id cuius nomine dati fuerant, impletum erit; nam quamvis *Androlepſia* licita interdum, eam tamen exercere in eos, quibus libertatem ſoluto primo debito promiſeras ſi non iniuſtum ſaltem indecorum, & aſperi & inſuavis animi indicium eſt.

3. Nullum & inefficax Summi Imperantis ius eſſet ſubditos obſides dandi, ſi datis liceret evadere a creditoris cuſtodia, & libertati fuga proſpicere; fugitivus igitur obſes non differt ab eo qui ſigna deſerit, alter enim penes Creditorem eſt eodem pacto, quo miles in ſtatione ſua; quapropter non recipere, non retinere poteſt Civitas, ſed eum infamia notatum creditori denuo tradet, ne publico conſilio id factum eſſe ſuſpicetur; quapropter iure *Cloeliae* fuga eſt a Romanis improbata,

Ipfaque cum ceteris obfidibus *Porfennae* Regi reftituta (1).

---

(1) Grot. *Lib.* 3. *Cap.* 20. §. 54. *afferit defendi pofse* Cloeliae *factum, quod videtur, inquit, non is animus fuifse Civitatis obligandi Civem ne aufugeret, fed hofti dandi facultatem qualis vellet cuftodiae. Quod quidem forenfem fapit cavillationem, nam fi fubditi fummo Imperanti obedientiam praeftare debent, eique ius eft ad obfides dandos pro debito publico, non video unde nam ei qui pignori fe dare Civitate imperante debet, ius sit pignus ipfum Creditori furripiendi; fugitivus enim obfes non differt a debitore, qui Creditori fuo pignus fuppositum furatur. Vid.* Grot. *lib.* 3. *Cap.* 11. §. 18. *ubi diftinguendum efse ait, an quis fponte fe obsidem dederit, an invitus datus sit, fed in utroque cafu aufugere non pofse liquet. Quapropter Tarentini obsides fugientes a Romanis retracti, ac virgis caesi a Tarpeio monte deiecti funt.* Liv. *Lib.* 35. *et* Cloeliam *reftituentes iidem Romani per foedus obtinuerunt, ut vitae eius parceretur.* Liv. *Lib.* 2. *Cap.* 13. *Fortafse non iniuria obsides, qui aufugiendo datam fidem violant, occiduntur, quippe qui in territorio Gentis, apud quam degunt, deliquerunt.* Ioannes *Rex Galliae ubi refcivit Filium fuum Ducem Andegavenfem aufugifse a cuftodia* Eduardi *Re-*

4. Si tamen moriatur obſes non tenetur Civitas in eius locum alterum obſidem ſubrogare, eodem pacto quo ſi res oppignorata pereat novum pignus debitor non ſupponit, eo enim vel obſide, vel pignore ſibi ſatis cautum eſſe arbitratus eſt creditor, atque adeo, ſi quis ſe obſidem det pro alio, eo mortuo liberatur, in eo enim ius pignoris extinguitur (1).

5. Haec omnia dicta volo de obſidibus proprie dictis, qui veluti pignora alienae fidei haberi poſſunt, ſed ſi ipſe nomine proprio ſpondeat debitum ſe ſoluturum vel ſimpliciter vel ſub conditione, ſi alter aut nolit aut nequeat ſolvere, vel expromiſſor vel fideiuſſor ſit, de quibus alibi diximus. Si autem promittat ſe effecturum ut id, cuius nomine datus eſt obſes, impleatur tenetur

---

gis Angliae, cui eum obsidem dederat, ipſe Regi ſe dedidit ann. 1364. *et in Anglia vita functus eſt*. De Real. Dr. des Gens. *Cap.* 3. §. 3. *pag.* 668.

(1) *Vid. Leg.* 15. *ff. De Captiv. et poſtlim.*

ad id quod interest, atque adeo non tantum eius libertas, sed & bona oppignorantur (1).

§. 7. *De Obside, qui extincti Regis qui eum dedit successor est*,

Quaesitum est quid iuris si Rex filium suum dederit obsidem, & solutione non adhuc facta mortuo Rege ad Regnum Filius vocetur, an scilicet qui accepit obsidem dimittere debeat, alio in eius locum subrogato, qui tanti sit quanti erat primus obses antequam Regno potiretur. Sunt qui (2) asserunt dimittendum, eam enim fuisse contrahentium mentem aiunt ut quis sublimi loco natus daretur obses, non autem Rex ipse. Equidem fateor eam sententiam Principis magnanimitati consentaneam, non autem summae naturalique iusti-

---

(1) *Vid.* Grot. *Lib.* 3. *Cap.* 20. §. 58. *in quo de hoc casu loquitur*; *quem male interpretatur* Cocceius *Iun. qui arbitratus est exposita a* Grotio *ad Expromissorem pertinere*.

(2) Wolf. *Ius Gent. Cap.* 4. §. 519. De Real. Droit des Gens *Cap.* 3. §. 8. *in fin. pag.* 674. Wattel. Dr. des Gens. *Lib.* 2. *Cap.* 16. §. 257.

tiae, ita ut aliqua ſit obſidem dimittendi perfecta obligatio; nam cum cuique licitum ſit ſibi cavere quocumque pacto de debiti ſolutione, non video cur proſperam non arripiat fortunam qui adverſam ferre cogeretur, ſi nempe obſes Populo cariſſimus, mutata Reipublicae ſorte vilior factus ſit, & indignus qui redimatur. Huc accedit, quod cum arbitrio recipientis permittendum ſit de aequalitate obſidis ſubrogandi iudicare iure ſaltem externo poterit Regem quamtumlibet retinere, cum difficile ſit ut unus vel plures obſides ſufficiantur, qui tanti habendi ſint quanti praeſumptus Regis ſucceſſor.

§. 8. *De Fide foederum.*

Fidem foederibus obligatam ſancte ſervandam eſſe multoties diximus ſi in paciſcendi modo nullum vitium irrepſerit, eoque magis ſervandam, quo nocentior violatio; hac enim una tantum generi humano proſpicitur ne in praeceps ruat, & ad ultimam deducatur perniciem: atque adeo nullus fuit Populus tam incultus tam barbarus, qui fidei ſervandae neceſſitatem non ſenſerit, & mendacem aut periurum eſſe

turpissimum non existimaverit, atque adeo miserae nimium, ac stultae religioni tribuenda nonnullorum opinio est, qui docere ausi sunt fidem licite violari posse adversus eos qui a vera Religione descivissent, quasi datae fidei sanctitas Religionis consortio potius quam naturalis Legis communione inniteretur, aut promissi validitas non a consensu sed ab iureiurando ortum duceret. Sed haec stultorum hominum deliramenta dissipata tandem tenebricosae aetatis caligine exsulare iussa sunt.

Illud hic loci animadvertendum tantum, quod cum fidem publicis foederibus obligatam servandam dicimus, illud intelligimus sinceritatem animique candorem promissorum executioni praeesse debere; non enim verborum materialis ut ita dicam significatio spectanda, sed compromittentium mens & consilium; turpe enim est & abiectissimo homini fidei violationem subdolis rationibus miserisque artibus contegere, Principi vero turpissimum; quippe Foederis interpretatio manifeste falsa ab expressa violatione non differt. Tamen non desunt exempla potentissimorum Principum, qui

ad eam devenerunt impudentiam & contumeliam, ut vafritia & fallacia mendacium obtegere, & cavillatores rabulaſque forenſes, viliſſimum turpiſſimumque genus hominum, non ſine dedecore & infamia imitari eos non puduerit (1).

CAPUT XI.

Quomodo controverſiae Gentium componantur.

§. 1. Cum facti interpretatio etiam prudentiſſimos fallat, nec facile ſit interdum a falſo verum, ab iuſto iniuſtum ſecernere, quod inter privatos ſaepiſſime, inter Gentes etiam aliquando accidit ut ambigatur an quid alter Populus alteri iure debeat nec ne. Si igitur res de qua agitur reipſa controverſa & ambigua ſit, ordo poſtulat naturalis ut vel per amicabilem

---

(1) Eiuſmodi exempla vide apud Grot. *Lib.* 2. *Cap.* 16. §. 5.

transfactionem, vel per arbitros, vel tandem forte etiam lis componatur. Cum enim ea Summo Imperanti obligatio impofita fit, ut iura fibi commiffi Populi farcta tecta tueatur, quae clara & manifefta funt defendere & vindicare, quae dubia & incerta confectari & declarare debet, quamvis enim dubia, iura tamen effe non defínunt. Itaque is Populus de cuius debito probabili ambigitur coniectura in difceptationem venire & ex propofitis mediis aliquod eligere ad veritatem & iuftitiam declarandam tenetur fi aeque de re controverfa dubitet, actio enim vel pofitiva vel negativa iure naturae illicita, fi dubites iufta an iniufta fit (1).

§. 2. *Confectaria*.

1. In dubio igitur ex neutra parte difceptantium vis licita; ex eo fi probabilibus innitatur argumentis nullum aliud ius oritur nifi ut utrimque probabilia argumenta exponantur & penfitentur, ut quid iuftum fit appareat, & fi omnia incerta

---

(1) *Vid. P. 1. Cap. 2. §. 23.*

ſint & perplexa amicabili res controverſa tranſactione componatur.

2. Itaque non bene praecipiunt qui docent bellum eſſe Populorum iudicium, quaſi ad arma convolare liceat ſimul ac de uſurpatione iuris noſtri ambigitur, bellorumque exitum eſſe veluti ſupremi Numinis ſententiam, qui victori ius controverſum adiudicet; non enim vis in alium licita niſi neceſſitatis iure, cum nempe nulla alia via patet vel factam reparandi, vel impendentem avertendi iniuriam. In hypotheſi utrimque de iniuria ambigitur; ergo ad colloquia, diſceptationem, examen & inveſtigationem iuſtitiae ius eſt utrique, non autem ad vim & bellum.

3. Si vero alteruter colloquia & iuris controverſi diſcuſſionem, aut de diſcuſſo, ſed tamen incerto & ambiguo iure tranſactionem detrectet, alteri iniuriam facit, atque adeo in eum vis licita.

§. 3. *Quando in cauſa dubia, nulla etiam praevia diſcuſſione, vis licita inter Gentes.*

Haec quidem recte procedunt ſi ſpes aliqua fuerit eam Gentem, quae ius noſtrum uſurpaſſe praeſumitur, conditiones,

quibus

quibus bellum vitetur, accepturam esse, omnia enim prius experiri consilio, quam armis virum bonum & sapientem decet. At si liquido constet alteram partem conditiones omnes recusaturam, immo nostris monitam expostulationibus, surreptis remotisque instrumentis, quibus controversiae nodus facile dissolvi posset, paratisque raptim armis nos aggressuram ut per vim ad silentium cogat, quin vis in eam licita, nullo etiam colloquio, nullaque expostulatione interposita, ambigendum non est, non quod in causa dubia agere interdum licitum sit, sed quod iura nostra exsequi, & impendentem iniuriam per vim repellere naturali Lege permissum (1): ius autem quod exsequimur illud est, ut in causa dubia conditiones aequas ad controversiam

(1) Opportune Caesar *apud* Dionem *in* Caesare „ quaedam esse bella, *ait*, in quibus querelae & indictiones praecedere debent; sed alia exoriri, quae tamquam iusserit necessitas, non possunt in disceptationem adduci „.

componendam altera pars acceptet, quas detrectaturam in hypotheſi certum eſt.

§. 4. *Conſectaria*.

Non igitur ab Iure Gentium voluntario pendet ut bella in cauſa etiam dubia licita ſint inter Gentes (1), ſed ab ipſa naturali Lege quae quidem numquam bellum in cauſa dubia ſuſceptum ratum habet, at neceſſitate exigente arma & privatis & Populis miniſtrat, ut alienam laeſionem quantumvis exiguam avertant. Cum vero neceſſitatis iudicium unicuique fuerit in ſtatu Naturae permiſſum, reliquum eſt ut Populus nullis etiam oblatis conditionibus vim licite inferat in cauſa dubia, ſi certo ſciat rei controverſae poſſeſſorem & iuris diſcuſſionem, & aequam tranſactionem recuſaturum. Quod ſi praeter neceſſitatem ad arma convolet, ius internum Naturae violat, cuius tamen violationis Deus optimus maximus unus ultor, & vindex. Ceterum ſi altera pars

(1) *Vid.* Samuel. Cocc. *Diſſert. prooem. ad* Grot. 4. §. 20. & 9. §. 63. *ubi ſyſtema* Grotii *circa Bellum exponitur*.

expoſtulanti Populo parata ſit aequis conditionibus ſatisfacere, vis omnino iniuſta (1), atque adeo qui rem controverſam poſſidet poſitus eſt in potiori cauſa, unde eum deiicere ſine iniuria nefas, niſi poſtquam de uſurpatione evidenter conſtet, aut ab amicabili tranſactione reſiliat.

§. 5. *De Iniuriae reparatione inter Gentes.*

Si tamen quod tibi debetur certum ſit, & iuris tui laeſio aut uſurpatio manifeſta, nec tamen altera pars aut ſponte, aut ſaltem requiſita vel debitum ſolvat, vel illatam luat iniuriam, vis licita non quidem poenae aut Talionis iure, quod nonnulli perperam commenti ſunt, ſed defenſionis

(1) *Eſt enim praeter neceſſitatem. Recte igitur* Paſtius *Samnis poſt res Romanis redditas, deditumque Belli auctorem inquit apud* Livium *Lib.* 9. *Cap.* 1. „ Expiatum eſt quidquid ex foedere rupto irarum in nos coeleſtium fuit . . . . quid ultra tibi, Romane, quid foederi, quid Diis arbitris foederis debeo? „ *Si igitur poſt aequam oblatam ſatisfactionem altera pars ultra tendat iniuſte agit; et bona eius cauſa ad alteram partem tranſit.*

cauſa, ob quam neceſſitate exigente eatenus vim licite adhibes, quatenus ius tuum expleas minimo quo poſſis iniurioſi Populi detrimento (1)

§. 6. *De Clarigatione.*

Quia vis tunc iuſta dicitur, cum nulla niſi in armis ſpes relinquitur, ſi iniuria tibi illata ſit, ut ſcholae aiunt, facti tranſeuntis (2), vim praecedat oportet *Clarigatio*, quae eſt ſolemnis, & publica rerum aut cuiuſque iuris apud ſummam Poteſtatem aut verbo aut ſcripto facta repetitio (3); non

---

(1) *Vid. Ius noſtr. P. 1. Cap. 7. §. 8.*

(2) *De momentanea enim, & violenta aggreſſione alibi diximus. P. 1. Cap. 7. §. 9.*

(3) Cic. *De Off. Cap. 2.* At Belli quidem aequitas ſanctiſſime feciali Populi Romani Iure praeſcripta eſt: ex quo intelligi datur nullum bellum eſſe iuſtum, niſi quod aut rebus requiſitis geratur aut denuntiatum ante ſit & indictum. Grotius *ait* Clarigationem, *et belli denunciationem tunc tantum eſſe neceſſariam cum res una pro alia, aut pro debito res debitoris invaditur, multoque magis ſi res eorum, qui debitori ſubditi ſunt, occupare quis velit Lib. 3. Cap. 3. §. 6. De Iure Feciali Vid.* Alex. ab Alex. *Genial.*

enim liquido conſtat te neceſſitate compulſum ad arma arripienda niſi poſtquam qui laeſit aut tacite aut expreſſe illatam reparare iniuriam recuſaverit. Clarigatio igitur praecepta Iure Naturae (1), nec negligenda

---

dier. Lib. 5. *Cap.* 3. Gell. *Lib.* 16. *Cap.* 4. Dionyſ. Halicarnaſ. *Antiquit. Rom. Lib.* 2. Tit. Liv. *Lib.* 1. Serv. *in Aeneid. Lib.* 9. Varron. *De Ling. Latina Lib.* 4.

(1) Clarigatio differt a denunciatione belli, quamvis altera in altera contineatur. Indicitur enim Bellum in denunciatione ni altera pars debito ſatisfaciat, petitur in Clarigatione quod nobis debetur, & ſi denegetur, armis & vi executuros ius noſtrum patet, quandoquidem nulla alia exequendi iuris via ſupereſt. Alterutra igitur, non utraque neceſſaria. Si tamen Clarigatio fiat, & id quod petitur non denegetur, id dandum eſt tempus quo quod petitum eſt commode fieri poſſit. Vid. Grot. *Lib.* 3. *Cap.* 3. §. 6. *n.* 2. *& ſeqq. & ibi* Henr. Cocc. *Itaque ut omnis vitetur iniuſtitiae ſuſpicio vel poſt Clarigationem denunciatio facienda, vel in Clarigatione tempus deſignandum eſſe puto, quo res repetita praeſtetur. Sunt tamen qui affirmant denunciationem eſſe Iuris Gentium tum ut hoſtis ſciat ſe deinceps nullis legibus protegi, tum ut appareat ſumma Poteſtate iubente*

nisi ob eas rationes, quibus paulo ante diximus vim interdum licitam in causa dubia nulla etiam praevia iuris discussione, quo tamen casu ab inferenda vi abstinebis simul ac iniuriae reparatio ingenue integreque offeratur omni offensarum acerbitate seposita.

§. 7. *De Represaliis*, *et Androlepsia*.

Nec reparatione denegata statim Bellum publicum licitum ut altera in alterius Gentis perniciem & internecionem ruat. Si mitiora sufficiant media tui iuris explendi, duriora & asperiora arripere illicitum. Itaque si res id

---

bellum geri, tum denique ut subditi ab omni cum hoste commercio abstineant. Cum tamen Clarigatio reipsa denunciationem belli contineat, nova denunciatio ad generositatem fortasse non ad iustitiam pertinet. Vid. Real. Dr. des Gens. *Cap.* 2. *sect.* 4. *n.* 1. *& seqq. Sunt etiam qui aiunt cessare denunciationis sive Clarigationis necessitatem iure Talionis, si nempe alter Princeps denunciare non soleat; quod quidem falsum puto; si quis enim in more habeat ut quid contra Naturalis Legis praescriptum agat, non ideo et tibi ius dat ut legem violes, nisi externe ad violandam legem necessitate cogaris.*

patiatur, reluctantem populum ad satisfactionem adiges per *Represalias*, aut *Androlepsiam*, per mobilium scilicet immobiliumve bonorum ad privatos cives pertinentium occupationem, aut Civium ipsorum capturam: quam quidem licitam (1) esse ex supra positis principiis patet. Prima pignoris, alteri obsidum loco apud occupantem sunt, atque adeo aequitas postulat naturalis, ut priusquam pignus tamquam rem propriam

(1) Grotius *ait Lib.* 3. *Cap.* 2. §. 1. *& seqq. Represalias, & Androlepsiam illicitas Iure Naturae, nemo enim ex facto alieno tenetur, atque adeo eiusmodi inter Gentes consuetudines ad Ius Gentium voluntarium refert. Haud tamen animadvertit vir clarissimus factum Civitatis seu Publicum esse factum singulorum ex ipsa Civitatis, & delati summi Imperii natura: singuli enim pro debito Civitatis tenentur. Apposite* Seneca *De Benef. lib.* 4. *Cap.* 20. Si quis Patriae meae pecuniam credat non dicam me illius debitorem, nec hoc aes alienum profitebor: ad exolvendum tamen hoc portionem meam dabo. *Vid.* Valin. *Ordonnance de Marin. Tit.* 10. Stipmann. *Ius Marit. pag.* 607. *apud* Heinecc. *l. c.* Loccen. *Iur. Marit. Cap.* 4. *Lib.* 3. *n.* 2.

diſtrahas, aut obſides in ſervitutem redigas debitori ſpatium deliberandi concedas an luere pignus obſideſque invitos redimere, & alio pacto tibi ſatisfacere velit. Oblata reparatione, violenta expletio iuris tui non neceſſaria, atque adeo illicita, denegata vero, in res occupatas acquiris quantum ad damnum & iniuriam reparandam, & ad futuram praecavendam ſufficiat. Huc referri debent mobilia, vel immobilia bona, quae fortaſſe in Territorio noſtro ſunt, & quae ad ſubditos adverſae Gentis pertinent, quo ſpectant & actiones & credita; altera enim pignoris loco detinere, altera non ſolvere poteſt Imperans, ut reluctantem populum ad ſatisfactionem obliget. Quod ſi non populus populo, ſed privati cives privatis alterius Gentis debeant, ſuis imperare poteſt ne ſolvant, aut ſi dies ſolutionis venerit, ut ſibi ſolvant. Excipienda ſunt tamen bona eorum qui in Territorio ſunt, de quibus infra dicturi ſumus.

Ex Repreſaliarum & Androlepſiae natura & obiecto patet eas non ad privatorum ſed ad Maieſtatis iura pertinere, ad quam unam pertinet iura populi adverſus

populum tueri & vindicare; nam quamvis de damno privatis Civibus a privatis item exteris Civibus illato agatur, laesis ius tantum esset in laedentium bona & personas: Represaliae autem, & Androlepsia simul ac Civitas expostulata satisfacere detrectat in Cives (1) omnes etiam innoxios exercetur, quia non privata iniuria sed publica vindicatur, & non in laedentes tantum, sed in omnes ius oritur. Nemo igitur licet iacturam, aut iniuriam passus iure Represalias exercet nisi decreto publico (2). Eae enim

---

(1) *Non igitur in peregrinos qui forte in Territorio Populi laedentis inveniuntur, aut qui domicilium ibi non habent, uti qui mercaturae, studiis &c. operam dant, non in eos quos passus es in tuo Territorio immorari, licet ad hostis populum pertineant, non in Ministros Publicos iuxta mores hodiernos Europae, quos inviolabiles esse dicemus.*

(2) *Qui igitur Represalias exercent, ut auctoritate publica agere videantur, praediti sint oportet* Litteris Marchae, *quibus a Principe subditis Potestas facta, ut res hostiles occupent. Vid.* Real. Dr. des Gens *Cap.* 2. *sect.* 3. *n.* 6. *Litterae Marchae dicuntur a germanico vocabulo* Mark, *quod antiquitus*

ſunt quaſi belli praeludium, & niſi Principe iubente indictae ſint non differunt a praedationibus, & latrociniis, atque adeo in eos qui decreto publico vim inferunt ius belli tantum, & capti ab hoſte ſervantur (1), alteri quaſi praedones ultimo afficiuntur ſupplicio.

§. 8. *Conſectaria*.

Quamvis tamen & innoxii Cives ob alienam iniuriam iure impetantur a Populo, cui iniuria, aut damnum illatum, illud certum eſt quod ſi quis Repreſaliis cauſam dedit, is damnum iubente Principe ſarciat

---

limitem Imperii, ſeu confinium ſignificabat. Exinde Litterae Marchae dictae ſunt, quod ut plurimum, illis qui Provincias in confinio Regni regebant ſcribebantur, ut iniurias per Repreſalias vindicarent, tum quod multoties ipſi per ſe Repreſalias exercebant. Aliquando privata conventione ſtatuerunt Gentes, quando & quam ob cauſam Litterae Marchae concedendae. Vid. Art. 16. Ultraiect. Tract. 11. April. 1713. Tract. Commerc. inter Gall. & Belg. Foederat. 21. Decembr. 1739.

(1) Vid. L. 118. ff. De V. ſign. L. 24. ff. De Capt. & Poſtlim.

oportet, actiones enim suis auctoribus imputantur. Si autem actus publicus, vel Summi Imperantis in causa fuit ut extera Gens Represalias exercuerit damnum privatis illatum ab omnibus reparatur pro rata; Civitatis enim eiusve Rectoris actus singulis civibus iure tribuuntur ex delati Imperii natura, atque adeo quemadmodum ex pactis publicis, ita ex maleficio aeque tenentur omnes, cum Civitatis voluntas externe saltem veluti singulorum voluntas iure censeatur.

CAPUT XII.

De Iure Belli.



§. 1. *Quid Bellum, & in quot species dividatur.*

AT si omnia prius expertus est Populus, nullaque iam explendi iuris sui via patet Bellum suscipere nec Naturalis, nec Divina, nec Evangelica Lex prohibet. Itaque

Bellum eſt ſtatus (1) hominum, qui neceſſitate exigente iura propria vi aut tuentur, aut exſequuntur. Eſt autem Bellum aliud *publicum*, aliud *privatum*, aliud *mixtum*; primum ſi Populus (2) cum Populo pugnat,

---

(1) Atque adeo complectitur durantem temporis tractum, cum nempe intermiſſis communibus humanitatis officiis populus cum populo per vim certat donec quod enatum eſt controverſiae aut victoria, aut pactione decernatur.

(2) Ergo nullum bellum publicum dici meretur, quod non geritur auctore eo qui ſummam in Civitate poteſtatem habet; populo enim nullo pacto actio tribuitur vel imputatur niſi quae communibus ſuffragiis ſuſcipitur, vel Principe conſtituto eius iuſſu & auctoritate; nam quamvis neceſſitate exigente is qui particulari Iuriſdictioni praeeſt iure poſſit in praeſenti periculo arma movere & imminens vi adhibita arcere periculum, attamen ſubitam illam certationem per vim bellum non dixeris publicum donec ſummae Maieſtatis auctoritate vis illata vel inferenda confirmetur, niſi eo caſu, quo Princeps inferioribus Poteſtatibus belli inchoandi conceſſerit poteſtatem, quod quis enim iuſſu Principis agit iure imputatur iubenti. Mandatum autem praeſumitur, cum cui cuſtodienda Provincia traditur praeſens hoſtilis impetus

alterum si inter privatos geritur, ut in simplici Naturae statu, vel introducta Civili societate & Iudiciis constitutis si nulla sit Iudicis copia, ut si quis versetur in locis non occupatis, aut sine certo periculo aut damno irreparabili expectari Iudex non possit, tertium si Populus contentione exorta in contraria scinditur studia, & pars una in alteram, aut quod idem est pars subditorum in Principem bellum gerit, & *Civile* dicitur. An Bellum aliquando licitum sit (1)

---

imminet, nec tempus est summam Potestatem consulendi; cui enim obligatio aliqua imponitur omnia illi tradita iura praesumuntur, sine quibus commissum sibi munus explere, & obligationi satisfacere nequit, nisi quaedam expresse sibi mandans vel constituens Princeps reservaverit. Vid. Grot. *Cap.* 3. §. 5. *n.* 3. *& seqq. ibiq.* Gronov.

(1) *Eiusmodi quaestionem late persequitur* Grot. *Lib.* 1. *Cap.* 2. *ubi docet Bellum nec cum Iure Naturae, nec cum Divino positivo, aut Evangelico Iure pugnare, quod quidem probat argumentis a ratione, ab historia, a consensu Gentium, & a publica ipsius Ecclesiae auctoritate petitis. Quae quidem omnia egregia sunt & commendatione*

apud nos inutiliter quaeritur, qui alibi evidenter oſtendimus violentam iuris ſui exſecutionem inter privatos non tantum licitam, ſed etiam aliquando praeceptam; quod enim privatis licet in naturali ſtatu, id & Populis eiuſve Rectoribus licere manifeſte patet, non enim quod in Civilem ſocietatem coierint homines naturalia iura exuerunt. At cum Imperio Civili conſtituto privato inter ſe bello renunciaverit, ſummoque Imperanti ſecuritatis publicae curam commiſerit populus, Ius belli publici ad iura Maieſtatis pertinet, nec publicum dicitur niſi utrimque geratur auctore eo qui vel ſummam in Civitate poteſtatem, vel ſaltem indicendi gerendique belli a Populo eiuſve Rectore mandatum habeat.

Si bellum contra momentaneam, vel impendentem aggreſſionem ſuſcipitur *Defenſivum*, ſi ut quod nobis perfecte debetur

---

dignissima; ſuperflua tamen, manifeſte enim patet id quod ſingulis licet adverſus alterum in Naturae ſtatu, id multis adverſus multos ob eaſdem cauſas licitum eſſe debere.

vindicemus geritur, *Offensivum* dicitur. Itaque fieri potest ut populus populum adoriatur primus, & nihilominus bellum defensivum gerat, cum nempe adeo manifestis indiciis alter in alterum infensum animum, & ad vim inferendam paratum ostendit, ut de proxima imminentique aggressione dubitari non possit, qui enim populus alium occupat qui iam gladium stringit ut repente & ex insidiis eum invadat se defendit potius, & tuetur ab hoste, quam hostem aggrediatur; nam cum arma parat, occultasque struit insidias, & requisitus de vi non inferenda cavere renuit, bellum iam gerere dicitur, quamvis nondum hostili impetu alterum aggressus sit. De Bello vindicativo & punitivo ut a nonnullis nuncupatur (1)

---

(1) Wolf. *Ius Gent. Cap.* 6. §. 620. *Georg.* Adam Reyheri *Epist. de Bell. punitivo inter Gent. Iur. Gent. necess. licito.* Ioan. Schmidt *De Bell. punitiv. Solere poenae expetendae causa bella suscipi asseruit* Grotius *Lib.* 2. *Cap.* 1. §. 2. & *Cap.* 20. §. 1. & 28. *Alibi docuimus in statu Naturali poenam proprie dictam non dari atque*

vix loquor, tum quod utrumque ad bellum defensivum commode refertur, tum quod poenae proprie dictae locum non esse inter Gentes alibi diximus.

§. 2. *De iustis Belli causis.*

Tunc Bellum inter Gentes licitum cum vim licitam esse in Iure Naturae diximus, ergo nulla alia iusta belli causa esse potest, quam aut illata iniuria (1), aut impendentis iniuriae

---

adeo errasse Grotium *tum quod ad iustas belli causas, tum quod ad Iura Gentium in bello quae quidem ultra modum extendit; nam quamvis in eos qui Piraticam exercent, & latrocinia publica bellum licitum sit, attamen non id ex iure puniendi, sed ex iure inculpatae tutelae ortum habet, quod quidem facile intelligitur si huc referantur quae supra diximus de Iure in minas et insidias.*

(1) *Vid. Ius nostr.* P. 1. *Cap.* 7. §. 13. *in fin. Itaque illud solemne apud Romanos, ut priusquam bellum moveretur iniquitas partis adversae per Feciales declararetur:* „ Ego vos testor populum illum iniustum esse, neque ius persolvere „ Liv. *Lib.* 1. *Cap.* 23. *Vid.* Grot. *Lib.* 2. *Cap.* 1. §. 1. *n.* 4. Thesmar. *in not. ad h. L. Lib.* 2. *Cap.* 22. §. 1. & 3. *Prolegom.* 25.

iniuriae periculum, quod nonnisi adhibita vi praecavere possis. Iniuriam autem dicimus eam tantum quae ius alterius perfectum laedit.

§. 3. *Consectaria*.

1. Itaque veritati consentanea non est nonnullorum sententia qui docuerunt (1) bellum licitum esse Populis eiusque Rectoribus non tantum ob iniurias in se, & subditos suos commissas, sed & ob eas quae quamvis ipsos peculiariter non tangant, attamen enormem aut naturalis Legis violationem, aut Divinae Maiestatis laesionem continent, ut ecce in eos qui in Parentes impii sunt, qui humanam carnem epulantur, aut Deum negant, vel falsa aut absurda de eo opinantur. Sed alibi iam diximus quo pacto alter Populus alterius curare debeat perfectionem & felicitatem, & monendos potius eos qui errant, quam vi

(1) Grot. *Lib.* 2. *Cap.* 20. §. 40. & 45. *Qui post* Grotium *scripsere eius doctrinam ut fieri solet transcripserunt: eos hic allegare supervacaneum.*

& armis cogendos ut feritatem, & inhumanitatem exuant, Deumque eo quo par eſt cultu venerentur (1). Qui & Herculis, & Theſei afferunt exempla ut Reges ad generis humani internecionem excitent, ambitionis & imperandi libidinis exquiſita prae-

---

(1) *Quapropter impenſe laudandi Sanctiſſimi Eccleſiae Patres in Concilio Toletano congregati qui lenitatis & manſuetudinis Sacerdotalis regulis innixi legem ſanctiſſimam conſtituerunt relatam in corp. Iur. Cap.* 5. *de Iudaeis Diſt.* 45. „ Praecepit Sancta Synodus. nemini deinceps ad credendum vim inferre; cui enim vult Deus miſeretur, & quem vult indurat „ *Vid. Apoſt. ad Rom. Cap.* 8. *v.* 15. *Evangel.* Ioann. *Cap.* 6. *v.* 66. *& ſeqq.* Matth. *Cap.* 13. *v.* 29. Luc. *Cap.* 9. *v.* 54. *& ſeqq. Illud ipſum antiqui Eccleſiae Patres docuerant praecepto Chriſti moniti, qui non ferro & rapinis, ſed piis admonitionibus, et charitate falſa de Deo credentes ab errore retrahendos monent.* Tertullian. ad Scapul. *in principio* Lactant. *Divinarum Inſtitut. Cap.* 19. Athanaſ. *Epiſt. ad ſolitar. Tom.* 1. *pag.* 855. Cyprian. *Epiſt.* 59. *Diviſ. Fell.* Chryſoſt. *ad cit. loc.* Ioann. *Tom.* 2. *pag.* 751. *Edit.* Savil. Auguſt. *contra Epiſt. Manich. Cap.* 2. *et* 3.

bent irritamenta, nec eos pudet a fabulofa hiftoria argumenta petere, quibus & Principum ambitioni, aut avaritiae blandiantur (1), & errorem & iniuftitiam confirment; illud enim extra dubium pofitum eft vim omnem illicitam nifi ob inculpatam tutelam, aut iuris tui perfecti explendi neceffitatem, quae quidem inviolabilis naturalis Legis regula quo pacto eorum fententiae aptari poffit non video.

2. Itaque tunc tantum Bellum defenfivum licitum, fi vis tibi illata iniufta: fi iufta, non ut vim vi repellas, fed ut illico fatisfactionem praebeas, & aequas offeras pacis conditiones Lex Naturalis iubet; offenfivum autem iuftum erit, fi iniuria quam vindicare aggrederis manifefta, nec alio pacto quam armis reparanda.

---

(1) *Egregie* Plutarchus *in vit.* Pomp. *ait*: barbaras gentes ad mores cultiores reducere velle obtentum effe, quo celetur alieni cupiditas. *Quod de Graecis* Plutarchus *aiebat id de Romanis dixerat* Mithridates *fortaffe non extra verum apud* Iuftin. *Lib.* 38. *Cap.* 6. „ Non delicta Regum illos, fed vires ac Maieftatem infequi „

§. 4. *An Bellum licitum ob metum creſcentis Potentiae.*

Hiſce principiis conſtitutis facile patet iniuſtum omnino eſſe bellum ad imminuendam creſcentem (1) Potentiam quae nimis aucta nocere poſſet; cum enim propriae ſecuritati conſulere cuique Populo ſit ius perfectum, ſi quis populus virtute & ſapientia duce, commercio & induſtria opes auget, & Fortuna comite Imperii fines amplificat, atque adeo arma, milites, claſſem comparat, munimenta & arces in finibus extruit, inſtrumenta bellica congerit, & adverſus hoſtiles impetus ſe tutum praeſtat, nemini iniuriam facit, quippe qui ius ſuum perfectum exſequitur; itaque nulla in eum iuſta cauſa Belli eſſe poteſt. Nec quod te impune laedere auctis viribus poſſit, ideo eum aggredi iure potes, ut vires & potentiam quam times imminuas; nam quamvis imminens futurae iniuriae periculum adhibita vi etiam praecavere poſſis, id tamen verum eſt cum periculum & impendens eſt

---

(1) *Vid.* Grot. *Lib.* 2. *Cap.* 1. §. 17.

& agenti libero extrinſece imputabile. At ſi rerum ordo naturalis ſit, ut quis ad eam auctus ſit potentiam ut me impune laedat ſi velit, laedere tamen velle nullo pacto conſtet, vis in eum illicita, tum quod nulla lege prohibebatur ne eatenus creſceret, atque adeo nullius iura perfecta laeſerit, tum quod incertum periculum & intrinſece tantum poſſibile neceſſitatem vis adhibendae non parit, quae quidem iuſta & pia arma praecedat ſemper oportet (1). At ſi populus de quo agitur conſilia agitet ambitioſa, (2) & nocendi voluntatem manifeſtis oſtenderit indiciis, quae adeo ad externos actus proceſſerit, ut de eius animo morali certitudine conſtet, iam periculum futurae iniuriae imminet, & in eius cauſam

---

(1) *Nam ſi ex eo quod alienam vim pati poſſim ad vim inferendam ius habeo, non video cur non liceat in naturali ſtatu hominem occidere, aut mutilare ſaltem ob id quod ei Natura membra tribuerit firmiora, & animi, & corporis viribus ceteris praeſtet.*

(2) Grot. *Lib.* 2. *Cap.* 22. §. 5. *Cap.* 1. §. 2. *n.* 1. & §. 17. *Cap.* 20. §. 18. 19. 39.

moralem, ſi nulla mitior via ſuperſit, vis licita, qua populus cogendus non ut facultatem nocendi, ſed ut conſilium ponat, & de noxa caveat futura: quod quidem & ſupra (1) monuimus cum de iure in minas & inſidias ageremus, & cum de aequilibrio potentiae inter Gentes diximus.

§. 5. *An Bellum utrimque iuſtum eſſe poſſit.*

Cum iniuria aut illata aut certo inferenda una ſit iuſta belli cauſa, manifeſte liquet alterutrum bellantem iniuria agere, & bellum utrimque per ſe iuſtum eſſe non poſſe, idem enim ſimul eſſe & non eſſe per rei naturam non poteſt, atque adeo facultas moralis ad contraria, nempe ad agendum & impediendum non datur, ita ut ſi quis iuſte inferat bellum, alter iniuſte reſiſtat & vice verſa.

Attamen fieri poteſt ut neuter bellantium iniuſtus ſit, ſi nempe uterque bona fide agat & opinione iuris ſui. Cum enim quiſque debeat in naturali ſtatu de iure & iniuria ex interiori animi iudicio ſtatuere;

---

(1) *Vid. Iur. Noſt. P.* 1. *Cap.* 7. §. 10.

cum subobscura multoties sit veritas, aut in ambiguo sit & delitescat, uterque potest alteram contradictionis partem tamquam veram assumere, & alteruter errore laborare invincibili. Fieri igitur potest ut pars aggrediens se necessitate coactam ad vim inferendam putet, altera vero se iniuria lacessitam bona fide arbitretur, & illatam vim vi repellat, atque adeo bellum ex alterutra parte iniustum sit, & tamen bellantes iuste agant saltem externe, cum in naturali statu, ut innuebam, cuiusque iudicio permissum sit de iure & iniuria sententiam ferre, propriaeque potius, quam alienae conscientiae sequi dictamina.

Exinde fit ut utrimque bellum externe iustum praesumendum, & utriusque bellantis eadem sint in bello iura, quod quidem non ab iure Gentium voluntario, ut nonnulli dictitant (1), sed a naturali ortum ducit, quo cautum est, ut Gentes inter se liberae sint, atque adeo de causa belli, eiusque

---

(1) Grot. *Lib.* 3. *Cap.* 4. §. 2. & *Cap.* 10. §. 5. *n.* 1. *Lib.* 2. *Cap.* 9. §. 4.

iuſtitia liberum iudicium ferant nemine contradicente, & ſi culpam aut dolum admiſerint unum habeant cognitorem Deum eorum iniuſtitiam quamvis externe impunem etiam poſt cineres vindicaturum.

Licet tamen externe ſaltem utriuſque bellantis arma legitima habenda ſint, ceterae tamen Gentes, ſi bello ſe immiſceant, proprium ſequantur iudicium oportet, eique ſuppetias ferant, cuius pia & iuſta eſſe arma arbitrantur, contra enim interius animi iudicium nulla actio licita eſſe poteſt.

§. 6. *De Foederibus bellicis*.

Fxinde Foedera bellica derivantur, quae vel amicitiae & benevolentiae cauſa, vel ad mutuam ineuntur tutelam, & quibus vel ſubſidia & auxilia praeſtantur in continenti belligerantium alterutri, vel in futurum utrimque promittuntur, ut vel facta vindicetur iniuria, vel impendens praecaveatur. Itaque Foederati Populi in bellicam quaſi ſocietatem coiviſſe intelliguntur, eorumque iura & obligationes ex iis regulis quas ſupra circa Foedera in genere & ſocietatem tradidimus, atque ex utriuſque conſenſu facile deducuntur.

§. 7. *De tacita conditione quae Foederibus bellicis appofita femper intelligitur.*

Quaefitum tamen illud eft an focietatis bellicae, in qua focii convenerunt de mutuis praeftandis auxiliis ad quodvis bellum, ea fit vis, ut fides fervari debeat etiamfi belli caufa evidenter iniufta. Sunt qui (1) fervandam docent eo ducti argumento, quo fupra docuimus externe faltem utrimque bellum iuftum iudicandum, quod quidem verum eft donec quis fe bello non immifceat, Foederati autem non tantum pro alio bellum fufcipiunt, fed fimul fumpti hoftem ipfum feu perfonam belligerantem repraefentant quodammodo, atque adeo fi uni ex Foederatis bellum quodvis nullo caufae difcrimine fufcipere illicitum, nec omnibus fimul fumptis id licere dicendum eft.

Cum igitur nemo promittere poffit ultra facultatem moralem, & focietas ad iniuftum bellum illicita iure Naturae fit, fe-

---

(1) Cocceius *Iun. ad* Grot. *lib.* 2. *Cap.* 15. §. 13. *Cap.* 25. §. 4. & 9. & *Differt.* 12. §. 409.

quitur appoſitam intelligi in quovis Foedere conditionem de fide tantum ſervanda in bello iuſto, nullo enim alio pacto fidem quis valide obligare poterat.

Ne tamen Foedera omnia bellica ſub ſpecie iniuſtae cauſae fruſtratoria & irrita omnino ſint, a promiſſa ſocietate atque adeo ab auxilis praeſtandis recedere nefas, niſi bellum, in cuius ſocietatem vi foederis quis vocatur, evidenter iniuſtum ſit: in cauſa autem dubia bellantis iudicio foederato ſtandum eſſe arbitror, & promiſſa ſubſidia praeſtanda; nam quamvis Iure Naturae vetitum ſit id agere quod dubites aequum ſit an iniquum, attamen ſi ad agendum morali adigeris neceſſitate, in legum colliſione qua vel hoſtem vel foederatum laedere dubitas foederato parcendum puto, qui de iuſtitia cauſae recte iudicaſſe praeſumitur donec contrarium evidenter appareat. Ni igitur poſſis te medium interponere & diſſidentes Populos conciliare ſancte fidem datam ſervabis.

§. 8. *De his qui in Bello medii ſunt, & de Neutralitate.*

Nemo tamen quia liber foedera bellica

inire cogitur, quamvis enim indigentibus opem ferre Lex iubeat, in collisione sibi potius consulendum esse (1) quam alteri diximus, atque adeo nemo ut bello se immisceat cogendus sine naturalis libertatis laesione.

Qui igitur Populi a bello abstinent *Neutri* vocantur eorumque Territorium vel *pacatum* vel *neutrum* dicitur. Quia tamen

---

(1) *Egregie* Seneca *De Benef. Lib.* 2. *Cap.* 15. Succurram perituro, sed ut ipse non peream. Sallust. *in Histor. Fragment. Lib.* 4. *Cap.* 1. Omnes qu secundis rebus suis ad belli societatem orantur considerare debent liceatne tum pacem agere, dein quod quaeritur satisne pium, tutum, gloriosum an indecorum sit. *Exinde patet quid sentiendum sit de iis Populis, quibus in more positum ut militarem operam praestent petenti mercede conducti sine ullo causae bellandi respectu, ibique fas esse ducunt, ubi plurima merces. Nescio equidem an avaritia vel fame compulsi rem miserandam & improbam aggrediantur, qui ut victum vel aurum habeant se auctorant neci, & hosti se obiiciunt occidendos alieno.*

ab eo ſtatu recedere, & ſi publicae utilitati, aut aequitati conſentaneum ſit in alterutrius partem moveri cuique licitum, ſaepiſſime ſit ut qui bellum gerunt cum finitimis praecipue populis foedus ineant Neutralitatis, in quo praeter generalem Neutralitatis promiſſionem ſpeciales etiam conſtituuntur Leges quae ſancte utrimque ſervandae.

Neutralitas autem in genere in eo potiſſimum ſita eſt, ne quid neuter Populus faciat, quo alteruter validior fiat in bello, aut alterutrius motus impediantur, qui immediate ad bellum referuntur, nec uni neget quod alteri permittit.

§. 9. *Conſectaria*.

1. Neutralitas igitur ſive generalis, ſive particularis per pactum inita non impedit quominus bellum gerentibus officia humanitatis omnia *Neuter* Populus praeſtet, dummodo ſe utrique aequum praebeat, nec alterum alteri praeferat (1), niſi forte officia

---

(1) Quapropter ſi Portus in territorio neutro ſit nil impedit ut utriſque bellantibus liber concedatur & acceſſus & receptus,

erga se ipsum cum officiis erga alterum collidantur. Itaque si uni frumentum quo non indiget aequo pretio vendiderit, quod superest, & usui publico necessarium est, alteri vendere non tenetur.

2. Quia tamen officia humanitatis imperfecte debita sunt, per vim a bellantibus non exigenda, prasertim ea, quae in pacati Populi perniciem verterentur, ut ecce transitus militum per territorium, vel fugati exercitus receptus.

3. Poterit tamen milites inermes, quamvis transfugae sint, veluti peregrinos recipere, iisque asylum praebere, nec Legem Neutralitatis, aut ius pacis amisisse dicetur nisi speciali pacto id vetitum fuerit.

4. Et quia neutrius partis esse debet & a bello omnino abstinere neutri etiam suppeditabit quae directe ad bellum referuntur;

---

dummodo aeque utrisque loci Princeps faveat: atque adeo vim iniustam intulisse Ianuensibus videtur Matthews *Anglus Classi Anglicae in Mediterraneo Praefectus, qui passus non est ut Hispani hostes in Januae portu tuti essent. Vid. Hist.* ann. 1713. 17. *Jul.*

ut ecce arma, naves, equos, & equitum vel peditum cataphractas, Inſtrumenta bellica, & cetera id genus quorum uſus directus in bello (1). Suppeditare hic loci tranſvehere ad alterutrum hoſtem ſignificat, nam ſi qua Gens inſtrumenta bellica & cetera ſupra memorata utriſque bellantibus aequo pretio veluti merces vendat neutralitatem non violat (2).

---

(1) *Praeclare idem* Seneca *haec omnia complexus eſt Lib. 7. de Benef. cap. 20 ubi docet ſe beneficium ob acceptam gratiam relaturum Tyranno etiam, si ei reddi ſine publica pernicie poſſit* „ Pecuniam, qua ſatellitem ſtipendio teneat non ſubminiſtrabo; ſi marmora & veſtes deſiderabit, nihil oberit cuiquam id quo luxuria eius inſtruitur, milites & arma non ſuggeram. Si pro magno petet munere artifices ſcenae, & quae feritatem eius emolliant, libens offeram: cui triremes & aeratas non mitterem, luſorias & cubiculatas, & alia ludibria regum in mari laſcivientium mittam.

(2) *Ad hanc neceſſariam mercaturae diſtinctionem animum non advertiſſe eos qui de hac re tam prolixe ſcripſerunt manifeſte patet, maxime enim inter ſe differre videntur*

5. Ab omni etiam commercio abstinendum cum iis, qui obsidione tenentur, ne aliquo pacto proxima vel deditio, vel oppugnatio retardetur, quod est contra Neutralitatis legem. Uno verbo ab omni actu Natio neutra abstinebit, qui in Populorum tamquam bellantium subsidium directe vergere possit; in hostium enim est partibus qui ad bellum necessaria hosti administrat.

---

exportatio mercium ad hostem meum ab amico vel neutro Populo facta, & eorum venditio, quae ad bellum necessaria esse possunt. Si enim vel superfluentes terrae fructus, vel Industriae operas alteri accedenti ad Territorium indiscriminatim vendam, iure utor meo, & nemini iniuriam facio, dummodo potius uni quam alteri favere non videar. Vetus naturalis aequitatis exemplum est apud Livium *qui narrat Romanorum Praetorem minatum esse vim bellicam in* Teios, *qui humaniter Antiochi classi commeatum praebuerant, sed revocaturum se a populatione militem si tantundem Classi Romanae darent* Liv. *Lib.* 37. *Cap.* 27. *&* 28. *Quod quidem aequissimum fuit si Teii tantundem quod ipsorum necessitati superesset haberent.*

6. Quapropter commercium pacatae Gentis cum utriſque bellantibus per ſe vetitum non eſt, dummodo circa eas res non verſetur, quae vel directum in bello uſum habent, vel belli finem, aut ſaltem *operationis* bellicae efficaciam retardare poſſunt, quae prohibita intelliguntur ex ipſa Neutralitatis natura, & quae vulgo dicuntur *Contrabbando di Guerra*.

7. Acerrime tamen multoties & ſcriptis & armis diſputatum eſt inter Gentes quaenam in commercio exercendo belli tempore prohibita eſſe dicantur; quapropter quae Gentes potiſſimum Navigationi incumbunt, ſi quando in Europa bellum exardeat, ut facile exorituras controverſias declinent & paci conſulant, percuſſo cum bellum gerentibus foedere, quid nomine prohibitarum mercium, ſive *di Contrabbando di Guerra* intelligendum ſit, ſtatuunt.

8. Ceterum cum noſtrum ſit Iuris Naturae & Gentium Theoremata tantum exponere, prohibitas merces omnes enumerare, & indicare non vacat, quippe quae facile deteguntur ſi Neutralitatis naturam ſupra declaratam probe quis noverit. Violata

lata Neutralitate quod ad commercia, quae iura bellantium ſint adverſus Neutrales Populos dicemus alibi.

§. 10. *Quis Hoſtis, & quae res Hoſtiles dicantur.*

Populi qui inter ſe Bellum gerunt *Hoſtes* (1) dicuntur. Quia vero Populus perſona moralis eſt ex individuis conſtans, indicto & denunciato bello a Summo Imperante ſive Civitatis Rectore, indictum a tota Gente intelligitur, voluntas enim ſummi Imperantis populi univerſi voluntas legitime praeſumitur, atque adeo bellum moventis ſubditi omnes hoſtes habentur a ſubditis illius in quem bellum geritur, & viceverſa, nulla habita ſexus, aetatis, ordiniſve ratione. Nec refert an intra fines hoſtiles ſint, vel in territorio alieno, aut nullius commorentur: dummodo ad Civitatem pertineant, & bellantis ſubditi ſint velut hoſtes habentur. Alteri tamen ab alteris differunt;

(1) *Iure Romano Hoſtes dicuntur, quibus Bellum publice Populus Romanus decrevit L.* 24. *ff. De Capt. & poſtlim.*

in eos enim qui in hoſtili territorio aut nullius ſunt belli iura exercentur, qui vero vel in ſolo pacato aut proprio indicto bello inveniuntur inviolabiles eſſe Lex Gentium iubet, nam alteri ab eo qui Imperium loci tenet, & in cuius territorio vis hoſtilis illicita, proteguntur; alteros data tacito conſenſu ab Imperante fides tuetur; ſimulac enim paſſus eſt ut Peregrini in ſolo proprio commorentur, & quaſi Cives fiant temporarii, cui parent ad tempus publico Imperio, eodem ab externa internaque iniuria defenduntur, donec intra fines territorii conſtiterint (1). Indicto igitur bello ſi ita

---

(1) Vid. Ius noſtr. P. 3. *Cap.* 6. §. 2. *Iniuſta igitur omnino L.* 12. *pr. ff. de Captiv. & poſtlim. revers. quae morem Romanorum exhibet* „ Verum in pace qui pervenerunt ad alteros, ſi bellum ſubito exarſiſſet, eorum ſervi efficiuntur, apud quos iam hoſtes ſuo facto (*vel ut alii legunt* fato) deprehenduntur. *Quapropter ab Iure Gentium receſſiſſe videtur Galliarum Rex* Aloyſius XIII. *ann.* 1625. *qui ſubita ira exardens in Rempublicam Ianuenſem & iniuriam ulturus Claudio Marino Legato ſuo apud Sabaudiae Du-*

expedire publicae saluti videatur monendi sunt Peregrini hostis subditi ut intra certum tempus e territorii finibus egrediantur, facta potestate res suas alio asportandi.

Transacto constituto tempore velut hostes habentur in solo proprio, nisi vi maiore impediantur, quo casu opportuna dilatio concedenda, nam ex alieno infortunio emolumentum capere & barbarum & inhumanum est.

---

cem irrogatam, iussit ut Ianuenses omnes, qui in Galliarum Regno degebant in Carcerem coniicerentur, eorumque bona omnia caperentur pignoris loco. Vid. Vicq. Mem. touch. Les Ambassad. *pag.* 597. *edit.* 1677. *Vid.* Real. Dr. des Gens *Cap.* 2. *sect.* 3. *n.* 8. *pag.* 406. *Quapropter inter multas Gentes convenit de tempore peregrinis concedendo ut e finibus hostium egrediantur; cum enim ea dilatio ab arbitrio concedentis pendeat, visum est nonnullis tutius esse si de temporis spatio paciscerentur. Id factum est inter Gallos, & Hispanos in Tract. pacis* 11. *April.* 1713. *Art.* 18. *inter Gallos, & Belgium foderatum in Tractat.* 8. *April.* 1713. *inter Hispanos, & Belgas foederat. Tract. Ultraiectino* 26. *Iun.* 1714.

Hoſtes itidem ſunt ii omnes, qui quamvis bellum moventis non ſubditi, tamen ei coniunguntur, & vi vel antiqui vel recentis foederis ei opem ferunt, & tamquam ſocii gerenti bellum accedunt; nam ſtatim ac bellum indictum & denunciatum hoſti, foederatis etiam omnibus indictum intelligitur, qui actu in bellicam coeunt ſocietatem, aut quocumque pacto hoſti ſuppetias publico decreto tulerunt, privatorum enim actiones Civitati imputari non poſſe alibi diximus (1).

---

(1) Dubitari tamen poſſet an qui populi conſueverunt milites ſtipendiarios concedere amico populo, veluti hoſtes haberi debeant, ut olim Geſati, Aetoli, Sarmatae, & noſtris temporibus Slavi, Helvetii, nonnullique Germaniae Populi. Nobis viſum eſt hoſtium loco habendam non eſſe Gentem, quae etiam publico decreto id permittat tempore pacis, dummodo exorto bello a ſuppeditandis militibus abſtineat; nam cum cuique integrum ſit operam ſuam, quae rebus propriis adnumerari poteſt, alienare, vendere, & quocumque pacto in alium transferre, non video cur Civitas non poſſit ſubditis ſuis permittere ut contermino populo operam praeſtent certo tempore duraturam, & militare ſtipendium mereantur, praecipue

Res autem hostiles sunt quae ad hostes pertinent, sive in eius Dominio sunt, ubicumque sint positae, nam non quod intra fines hostium inveniantur, sed quod earum dominium ad eos pertineat, hostiles dicuntur.

---

si ad id agendum cogatur vitae sustentandae gratia. Si quando vero accidat ut bellum exoriatur, & stipendiarii milites habita contractae obligationis ratione arma contra gerant, id populo, qui militare alieno Principi servitium concessit non imputandum; nec regerendum puto eos vires populi bellantis augere, nam & augent etiam qui concedente Principe lecti sunt in tuo Territorio, ut exterae adscribantur militiae tempore pacis, nemo tamen est qui asserat me iure belli potiri contra eum Principem, qui passus est ut tempore pacis ab extera Gente milites in suo conscriberentur Territorio. Contra disserit Realius Dr. des Gens *Cap.* 2. *sect.* 2. *n.* 18. 380. *argumentis tamen, quae infirma videntur ad contrariam statuendam sententiam. Ceterum quandoque & qui exorto bello auxilia suppeditant hostium loco haberi non possunt ab altera parte, si id pepigerint pacto publico, ut factum est inter Gallos & Hispanos in publico foedere Art.* 3. *quorum exemplum & alii postmodum imitati sunt.*

Quapropter ſi in territorio hoſtili res mobiles ſint ad ſubditos pacati populi pertinentes, hoſtiles non habentur: immobilia autem ſive praedia aut urbana aut ruſtica, quae in hoſtis territorio poſita ſunt & ad peregrinos pacatos pertinent rebus hoſtilibus adnumerantur; peregrinus enim tamquam poſſeſſor ſubditus eſt hoſtis, cum nulla eſſe poſſit territorii pars, quae Dominio publico & Imperio Gentis ſubtrahatur, quicumque tandem ſit privatus eius poſſeſſor, atque adeo fundi particulatim diviſi, qui territorium Gentis componunt, veluti Gentis eiuſdem bona cenſentur, nulla habita poſſeſſoris ratione.

Itaque ſi bellum gerat in Gentem meam is populus in cuius territorio praedium aliquod poſſideam, illud tamquam rem hoſtilem non occupabit; in Civium enim numerum me cooptaſſe intelligitur quod ad ius proprietatis, & poſſeſſionis, quod quidem farctum tectum tueri voluiſſe praeſumitur dum id iuris a Peregrino in territorio ſuo paſſus eſt comparari; quamvis quod ad ceteros belli effectus velut hoſtis iure meritoque habendus ſim.

Sed quamvis mobilia bona quae in territorio hoſtili inveniuntur ſi ad pacatos peregrinos pertineant, veluti res hoſtiles haberi nequeant, attamen praeſumuntur hoſtiles donec contrarium evidenter conſtet (1).

CAPUT XIII.

De Iure Gentium in Bello.

§. 1. Sed iam ſtricto enſe alter hoſtis in alterius perniciem ruit, & praeſens vis aut impendens vi armata repellitur. Quidnam in tanta officiorum perturbatione, quantumve liceat in hoſtem? Quonam pacto armata vis temperanda in bello ne ultra

---

(1) Quapropter res in hoſtium navibus repertae praeſumuntur eſſe hoſtiles donec contrarium probetur. Loccen. *de Iur. Marit. Cap.* 4. §. 11. *Si tamen hoſtis quid iuris in rebus alienis habeat, ut ecce pignoris, ſervitutis, retentionis ec. ius hoſtile dicitur, atque adeo occupabile. Vid.* Grot. *Lib.* 3. *Cap.* 6. §. 5. 6. 26. *qui docet ad contrariam probationem admiſſos multoties peregrinos pacatos in Hollandia.*

iuſtitiae fines progrediatur? Facilius quidem eſt quid non liceat in res & perſonas hoſtiles, quam quid liceat ſtatuere. Si enim huc revocentur quae ſupra diximus de ſui defenſione in naturali ſtatu, & populis per vim certantibus concinna methodo aptentur praeſcriptae Regulae, quae neceſſariam & inculpatam tutelam moderantur, vix aliquid ſupererit, quod hic loci addendum ſit: attamen quia bellum publicum a privato habita ratione illud gerentium plurimum differt, de eo quod licet in bello haec ſint principia generalia.

I. Cum ius belli ad iura neceſſitatis referatur, nec vis adhibenda, atque adeo belli gerendi cauſa iuſta alia eſſe poſſit, quam aut illata iniuria, aut impendentis iniuriae periculum inevitabile, quam aut reparare, aut evitare niſi vi adhibita poſſis, ſequitur eatenus vim licitam in hoſtem eſſe, quatenus vel ad illatam vindicandam iniuriam, vel ad impendentem praecavendam eſt neceſſaria.

II. Et quia inter Gentes nullus eſt ſuperior, nullus eſt etiam qui bellum gerenti modum vis adhibendae praeſcribere legitime

possit; atque adeo violenta media, quae ad finem belli consequendum necessaria sunt, bellum gerentis iudicio, optioni, & conscientiae sunt necessario relinquenda. Itaque defensionis offensionisque excessus quamvis interno Naturae iure illicitus, tamen externe saltem iustus haberi debet, non quod id iure voluntario Gentium sit constitutum (1), sed quod quae Lex naturalis homini libero ius dat alienam iniuriam aut etiam iniuriae

---

(1) *Ea fuit hypothesis* Grotii *Lib. 3. Cap. 4. §. 4. uti multoties notavimus; vir enim ceteroquin clarissimus & eruditissimus privatae Iustitiae regulas prae oculis habens, nec eas aptari Gentibus inter se in plerisque vitae conditionibus internoscens, ad mutuum populorum consensum provocavit, qui tamen nec recta innititur ratione, nec ab ipsa Generis humani historia ullo pacto deducitur. Una est quidem Lex naturalis, quae tam privatam, quam publicam moderatur iustitiam, attamen mutata obiecti & subiecti substantia commutatur officium, eademque Lex, quae agendi regulam generalem praescripsit, eadem & exceptionem iubet, quod quidem cum de iure Necessitatis agebamus monuimus; & bellum enim ad iura Necessitatis refertur.*

periculum vi adhibita propulſandi, eadem eius iudicio permittat oportet de defenſionis offenſioniſve quantitate ſtatuere.

III. Quidquid tamen detrimenti utrimque affertur in bello ultra defenſionis neceſſitatem illicitum, una enim neceſſitas vim hoſtilem iuſtificat. His poſitis facile eſt quid non liceat in hoſtem in generalibus belli cauſis indicare.

§. 2. *De iure in Hoſtis ſubditos.*

Cum nulla vis licita niſi ob defenſionis neceſſitatem, ſi qui fuerint inter hoſtis ſubditos, qui tibi iniuriam vindicanti aut perſequenti ius tuum obſiſtere aut nequeant aut nolint, in eos vis omnis illicita, quia non neceſſaria (1). Itaque ſenes, feminas,

---

(1) *Et feminis quidem, & ſenibus, & infantibus bellando creatur periculum, extra mentem tamen & propoſitum bellantis, qui nullo alio pacto ius ſuum exſequi poteſt, atque adeo imminens innoxiae turbae periculum infortunio potius quam hoſti imputandum. Iure tamen Gentium voluntario ſtatutum eſſe aſſerit* Grotius *Lib.* 3. *Cap.* 4. §. 9. *& ſeqq. ut liceat in bello & feminas & pueros, &*

infantes, ſupplices, captos, deditos necare & atrox & inhumanum; alteri enim aetatis vel ſexus cauſa non poſſunt, alteri vero qui poſitis armis in tuam veniunt poteſtatem, & miſericordiam deprecantur, obſiſtere amplius nolle manifeſte declarant: ergo ubi nulla defenſionis neceſſitas ibi nec ius ullum in alienam vitam eſſe poteſt, quod nemini competit niſi in Legum colliſione, & iure neceſſitatis.

Obiiciunt tamen nonnulli, quod quemadmodum licet in bello eos, qui actu arma gerunt, tibique iura tua vindicanti iniuſtam vim inferunt, interficere, eodem pacto eoſdem necare licitum poſtquam armata vi eo redegeris ut arma ponant inviti, & captivi in tuam veniant poteſtatem. At falſum eſt

---

ſenes, & captos etiam, & obſides, & deditos occidere, quam quidem laedendi licentiam non aliunde quam ab exemplis Populorum deducit. Non quid fecerint Gentes, ſed quid facere debuiſſent quaerunt Philoſophi, & pauca ſaevitiae, crudelitatis, & atrocitatis exempla pro Naturae legibus venditare & ſtultum & ridiculum eſt.

necare fas eſſe in bello eos quorum vis mitiori via reprimi, & propulſari poſſit, ergo falſum etiam captos necare iure Naturae permiſſum, quibus nocendi reſiſtendique facultatem captivitate tantum adimi potuiſſe conſtat, atque adeo internecionem non fuiſſe neceſſariam, quam unam licitam eſſe diximus.

Quapropter ſimulac capti inermes in tuam venerunt poteſtatem, iam in eos ius belli ceſſat, quod a defenſionis neceſſitate ortum ducit. Nec poenae nomine captos licite interficies, quod nempe hoſtes fuerint, tibique damnum dederint; nam cum utrimque bellum iuſtum cenſeri debeat, qui tibi vel vim inferunt, vel vim a te illatam propulſant, nec crimen, nec iniuriam admittunt, ob quam eos poenae & noxae dedas. Finis autem belli non eſt hoſtium omnium interfectio, ſed expletio iuris tui: eius explendi neceſſitate reſiſtentes occidis, non repugnantes necare & barbarum, & iniuſtum.

Quod ſi captivi e cuſtodia victoris evadere conentur, aut aliquid hoſtile contra eum moliantur, quin morte eos afficere,

ſi nulla alia eos continendi ſuperſit via, licitum ſit non dubito, non quod hoſtes fuerint, ſed quod hoſtes ſint adhuc, contra quos ius inculpatae tutelae quodammodo reviviſcit ſimulac captivi hoſtilem animum & ad nocendum paratum indubiis oſtenderint indiciis. Ut igitur captivorum tumultus, & ſeditiones vitentur, & ne victor eorum fatigetur cuſtodia ſi ad eum numerum excreverint, qui non ſine trepidatione & metu cuſtodiri, & facile victoris imperium detrectare poſſint, ne atrox eos necandi neceſſitas locum habeat, mos quidem impenſe laudandus inter Europae Gentes invaluit, ut captivi dimittantur ſub conditione ne durante bello militare ſervitium praeſtent: fidem autem a captivis datam, ubi ad ſuos reverſi fuerint ſancte ſervandam eſſe non ambigitur (1) eodem pacto, quo in genere ſervanda dicimus ea omnia, quae hoſtis hoſti in bello promittit, ut infra docebimus.

---

(1) *Vid* Real. Dr. des Gens. *Cap.* 2. *ſect.* 7. §. 9. *pag.* 516.

Sunt etiam qui deditos interficere fas eſſe docent ſi praecipue nimio partium ſtudio pertinaces fuerint in reſiſtendo, aut ſine conditione ulla in deditionem ſint recepti, quod quidem alienum eſſe a veritate nemo non videt; nam primum utrum pertinaciores fuerint in repugnando & diutius reſtiterint quam par erat difficile eſt iudicare; quia autem conſtanter pugnaverint poenam non merentur, tum quod in naturali ſtatu poenam proprie dictam non eſſe pluries monuimus, tum quod apud omnes Gentes partes ſibi a Natura aſſignatas, aut honeſta ratione electas acriter tueri laude potius quam ſupplicio dignum habitum eſt. Huc accedit quod cum hominem necare non liceat niſi per legum colliſionem & iure neceſſitatis, deditos interficiendi ius nullum, in quos per ipſum deditionis actum defenſionis neceſſitas ceſſat, atque adeo ius belli.

Secundo ex eo quod ſine conditionibus ſe victori permiſerint, & armis poſitis ad Imperatorum fidem confugerint non ſequitur in propriam necem conſenſiſſe. Quin potius videntur qui hoſti dant manus victas

de vita ſervanda paciſci, & in id conſenſiſſe victorem patet, qui vim ſuſpendit, ut eos in poteſtatem accipiat: qui autem te deprecantur ne facto impetu oppugnentur, & ad tuam confugiunt fidem ne interficiantur, eos in fidem receptos, inermes, ſupplices, non amplius reparationi iuris tui obſiſtentes, necari a te licite poſſe, & abſurdum eſt, & inhumanum.

Uno verbo quamvis bellum gerentis ſubditi omnes in hoſtium numero ſint, ad eos tantum ius interficiendi porrigitur, qui te actu armata vi aggrediuntur, aut iuris tui reparationi reſiſtunt. Ceteris omnibus parcendum eſſe ex ſupra poſitis principiis manifeſte liquet. Hoſtem igitur pugnantem neceſſitas perimat non voluntas, ceteros inſontes, qui arma non gerunt, qui a repugnando abſtinent miſericordiam merentur, & ſi quando cum ſontibus armatis occidant infortunio potius, quam hoſtis iuri aut voluntati tribuendum eſt.

§. 3. *Quibus armis uti liceat in Hoſtem, ubi de veneno, & percuſſore.*

Si ſummum Naturae ius ſpectes, quem licite occidere potes, hunc gladio an ve-

neno interimas nihil, intereſſe videtur; attamen quod admiratione dignum cenſeo, ſi non apud omnes, ſaltem apud moratiores Gentes exſecrabile facinus habitum eſt aut veneno, aut armis veneno infectis uti contra hoſtem, & quos poſſes arce incluſos, actis ſubterraneis cuniculis, ignis ope quaſi terrae motu excitato uno impetu obruere, hos venenatis aquis e medio tollere infame & inhumanum.

Unde nam paradoxum iſtiuſmodi, & haec perpetua cum communi hominum opinione Naturalis Legis diſſenſio? Id mecum ſedulo conſideranti viſum eſt noſtri Iuris Conſultos in hunc incidiſſe difficilem nodum, quod non bene originem iuris interficiendi hoſtem detexerint (1); non enim quod hoſtis quis ſit, aut quod bellum publicum quis gerat, ideo eum quocumque pacto interficere licet, ſed quod vel actu te aggrediatur, vel tibi ius tuum reparanti actu reſiſtat, necare potes per modum ne-

ceſſitatis

(1) *Vid.* Henr. Cocc. *Diſput. De armis illicit.* Grot. *Lib.* 3. *Cap.* 4. §. 15.

cessitatis & inculpatae tutelae omni vindictae cupidine & irarum acerbitate seposita. Quin si ad normam naturalis Legis agere hostis in hostem velit, dolebit quodammodo se eo redactum necessitate ut internecione vim illatam vel certo inferendam repellere cogatur.

Non eo quidem consilio, non eo animo bellum gerere dicuntur qui extra conflictationem, extra pugnam non hostem actu repugnantem aut aggredientem, sed Imperatorem vel Regem adversum quiescentem & imprudentem veneno aut percussore interficiunt, & Regum vel Ducum licitantur capita: eos igitur voluntas non necessitas necat, nec tam atrox consilium suscipitur sine odio & vindicta, a quibus temperandum etiam in bello diximus. Hinc Iure Gentium huiuscemodi infames insidiae vetitae, atque adeo qui eas moliuntur & exsecrabiles habiti sunt (1), & deprehensi

(1) Cic. *de Off. Lib.* 3. *Cap.* 22. Liv. *Lib.* 42. *Cap.* 18. Lucan. *De bell. Gildon. vers.* 273.

exquiſitis ſuppliciis afficiuntur, ut ceteri eorum exemplo deterreantur. Spicula etiam & miſſilia omnia, fonteſque & aquas veneno inficere (1) illicitum, tum quod minimo quo poſſis aggreſſoris aut iniuſte tibi obſiſtentis damno vis repellenda, tum quod in inſontes, qui intra fines hoſtiles ſunt, nulla vis licita; quos enim vulneratione a bellando avertere potes, hos morte afficere vetitum, & quem necare licitum, hunc lento mortis genere & veneni torquere cruciatibus vetitum eſt: venenatis autem aquis non tantum ii qui arma gerunt occumbunt, ſed ii etiam qui a bello abſtinent, quibus parcendum diximus. Licet tamen & fontis venas intercipere, & flumen avertere, & aquas ſine veneno corrumpere ut obſeſſi ad deditionem cogantur; ſine caede enim & ſanguine hoſtis pertinaciam retundere non tantum humanum eſt ſed pene divinum.

---

(1) Ut olim apud multas Gentes in more poſitum fuit & nunc etiam apud nonnullos barbaros populos uſurpatur. Vid. Grot. *loc. cit.* §. 16.

§. 4. *De Hostium captura & de iure in captivos.*

Quamvis tamen hostium vitae multoties parcendum Natura iubeat, omnes tamen sine discrimine capi & detineri possunt (1); ea enim omnia, quae vires hostium imminuere vel ad pacem componendam compellere citius possunt, licita sunt in bello.

Ex capturae licitae obiecto & consilio sequitur nullum aliud ius esse victori in captos, nisi ut eos vel libera vel coacta & violenta custodia asservet (2). Quod olim apud Romanos, ceterasque Gentes in perfectam servitutem capti in bello redigerentur & barbarum & inhumanum fuit: mos istiusmodi exinde ortum duxit, quod captos in bello interficere licitum esse existimarent Veteres, quapropter servi a ser-

---

(1) *Nisi aliter inter se bellantes pepigerint, ut aliquando inter Europae Gentes factum est.*

(2) *Non igitur ut feminas captas scelerata victores comprimant libidine, aut alio pacto nefariam vim inferant, id enim neque ad securitatem pertinet, neque ad defensionem.*

vando (1) apud Romanos dicebantur, quam quidem ſententiam ſupra abſurdam & iniuſtam oſtendimus. Iure igitur meritoque barbarus eiuſmodi naturalis Legis abuſus, ut captivi ab hominum ordine ad brutorum conditionem quodammodo deiicerentur, a noſtris moribus exulare iuſſus eſt, quae quidem manſuetudo & Religionis Chriſtianae lenitati, & ſincerioris ſapientiae praeceptis accepta referenda. Itaque apud Europae Gentes captivi, poſitis armis & pace compoſita, utrimque ut plurimum reſtituuntur, vel in victoris tranſeunt civile Imperium.

Ius tamen in captos victor ſi velit remittere vel abſolute, vel ſub conditione captivis poteſt, & data ab eis victori fides ſervanda; quamvis enim per vim detineantur, non tamen per vim promittunt, cum de propria dimiſſione paciſcuntur. Quippe

---

(1) *Inſtit. Tit. de Iur. Perſon.* §. 13. Florentin. *in Leg.* 4. §. 2. *ff. De ſtatu hom.* „ Servi ex eo appellati ſunt quod Imperatores captivos vendere, ac per hoc ſervare nec occidere ſolent „.

victor in captorum libertatem ius perfectum acquirit durante bello, de quo cum eis pacisci ex sententia potest veluti de re propria, atque adeo eiusmodi pactio a ceteris contractibus non differt, in quibus regulam generalem ut fides servetur tradidimus. Differt autem promissio victori facta ab ea quam metu & vi praedo vel latro extorquet, ut a vi vel corpori vel libertati inferenda abstineat, praedonis enim vis omnis iniusta, victoris autem ius legitimum & bello partum, cui ut renunciet si exigat ut quid retribuat captivus, iure suo utitur. Inde liquet cur supra (1) docuerimus promissiones metu & vi extortas invalidas esse, & cur firma esse debeant pacta inter Gentes bellantes; nam publica vis & metus iustus plurimum a privata vi & iniusta differt (2).

Licebit etiam victori si velit captivos dimittere pretio, cuius quantitas consensu

---

(1) P. 1. *Cap.* 9. §. 9.

(2) *Vid.* Grot. *Lib.* 3. *Cap.* 19. *ubi late disputat de fide inter hostes, quam quidem non violandam conlatis, ut solet, undique testimoniis ostendit.*

mutuo, ut in emptione venditione diximus, definitur (1); dummodo nec dolus nec error interſit. Cum libertas cum pretio redemptionis permutetur, pretium debetur ſtatim ac libertate donatus fuerit captivus: itaque ſi accepta de pretio fide dimittitur domum captivus, & in libertate moritur, debetur pretium, ſi in hoſtis poteſtate ſecus. Item debetur pretium ſi eo conſtituto captivus liber factus ſe captori obſidem dederit in ſolutionis ſecuritatem, & interea temporis moriatur, libertatem enim quamvis obſes obtinuerat, ob quam redemptionis pretium eſt debitum.

§. 5. *De Iure in res hoſtiles.*

Quae regulae hoſtis iura in hoſtium corpus & libertatem moderantur eaedem eius iura in res hoſtiles dimetiuntur, quae capi & vaſtari eatenus poſſunt, quatenus

---

(1) *Niſi aliter ſtatutum ſit in eo contractu quem vocant* Cartello, *in quo utrique bellantes declarant qui in captivitatem adduci poſſint, & quo pacto redimendi, quod quidem factum eſt inter Gallos & Anglos bellantes* 18. *Iul.* 1743.

necessitas iuris tui vel tuendi, vel reparandi exposcit, dummodo nil admittas ira & odio magis compulsus, quam prudenti ductus ratione, nam res quamvis hostiles perdere, corrumpere, vel vastare, quae vastatae aut perditae nec vires hosti adimunt, nec perdenti emolumentum aliquod afferunt, insanientis est potius, & prae ira furibundi hominis, quam publicum bellum adversus hostem gerentis; atque adeo direptiones, incendia, devastationes ab hoste in hostis terris admissae ultra iuris tui exsequendi vel reparandi necessitatem Iure Naturae vetitae.

Ceterum si necessitas urgeat & urbes incendere, & fruges corrumpere, & diruere tecta, & arces & munimenta solo aequare, & terras hostium populari & vastare licet in bello, non quod urbe capta victor dominium acquirat, ut nonnulli dictitant, quo uti & abuti possit, nec enim domino res suas perdere licitum esse diximus, sed quod necessariae defensionis iure id omne liceat, sine quo aut illata iniuria reparari, aut impendens averti non possit.

Res autem hostiles capere in infinitum licet etiam ultra debiti modum, ut pecu-

cuniarum frugumque penuria minuatur bellum, & hoſtium animi fracti ad pacem concilientur. Sed ſi ultra debiti modum res capiantur & acquirantur ad minuendas hoſtium vires, poſitis armis reſtituatur oportet quod ſupra debitum eſt: debiti autem nomine hic venit non tantum primarium, unde bellum ortum duxit, ſed ſubnaſcens etiam ex belli impenſis, & damni ab hoſte dati reparatione.

Quia autem minimo quo fieri poteſt alterius detrimento iura ſua exſequi naturalis Lex iubet, urbe capta, a direptione (1) & depraedatione abſtinendum, & hoſtes potius cogendi ut victrici militiae neceſſaria ſuppeditent, & ad ceteras belli impenſas pro rata, & patrimonii modo contribuant. Si exigitur ultra licitum, quam cauſa ſubeſt debendi in hoſte eo conſilio, ut eius mi-

(1) *Multoties legimus poſt praelium, urbisve oppugnationem, direptionem militi conceſſam, ut dato ſigno diſcurreretur, & hoſtium ſpolia capientium eſſent. Vid.* Grot. *Lib.* 3. *Cap.* 6. §. 18.

nuantur vires, cessante periculo restitutioni fit locus, ut supra monuimus.

§. 6. *De Praedatoribus & dominio praedae.*

Quamvis tamen ad quosdam effectus hostis subditi omnes hostibus adnumerentur, non tamen cuique privato hostis subdito praedas agere & diripere res hostiles licet, sed iis tantum, quibus a summa Potestate bellum gerente mandatum est, ut de Represaliis diximus; ad Maiestatis enim iura ius belli pertinet, cuius est quantitatem & modum vis inferendae statuere, & actus bellicos decernere: nullus igitur praedator legitimus nisi expresso aut tacito (1) Principis consensu. Itaque cum nemo qui res hostiles diripit agat iure proprio, sed iure & nomine bellum gerentis, cuius qui actu

---

(1) Ut ecce: si unus vel plures Principis bellum gerentis subditi momentaneam hostis aggressionem repellere cogantur, & eo fugato castra diripiant, vel Navis oneraria aut vectoria in praedatoriam Navem hostilem incidat, & pugna conserta hostilem secundo Marte capiat, tacitus Principis consensus praesumitur.

arma gerunt & militant, quaſi inſtrumenta ſunt, vel potius operarum locatores publicis impenſis conducti, ad ſummam Poteſtatem, vel ad Populum cuius bellum eſt praeda pertinet, non ad privatos milites, ſive bellantis ſint ſubditi, ſive exteri & auxiliares (1); niſi ſecus belli Leges a Principe

---

(1) Vix conciliare poteris Leges Romanas circa dominium rerum captarum in bello; alicubi enim res hoſtiles ſingulorum capientium fiunt, alicubi Fiſco cedunt. Videntur Romani diſtinxiſſe res quae publice ab iis quae privatim capiuntur, & primas Fiſco addici, alteras ſingulis cedere docuiſſe. Vid. L. 13. *ff. Ad Leg. Iul. pecul. L.* 5. §. 7. *L.* 7. *&* 51. §. 1. *ff. De acquir. rer. dom.* Grotius *Lib.* 3. *Cap.* 8. §. 6. *diſtinguit praedam in res immobiles & mobiles, primas Fiſco addici ait, alteras ſi miniſterio publico capiuntur item Fiſco, ſi extra miniſterium publicum ſingulorum capientium fieri.* Grotii *doctrina vera, dummodo addatur quod ſi quando fit in bello ut privatis praeda acquiratur id fiat tacito aut expreſſo Principis conſenſu. Non videtur* Grotius *cenſuiſſe actus hoſtiles a ſumma Poteſtate pendere, nec privato licitum aliquid eo inconſulto tentare in hoſtem, ſtatuit enim Lib.* 3. *Cap.* 18. *privatis omnibus licere Iure Naturae etiam ſine*

dictae sint (1), ut vel praeda in milites & socios belli certo modo distribuatur, vel eius dispensandae arbitrium Imperatoribus relictum sit. Quapropter si quis privatus Principe vel Populo invito aliquid ex praeda ab hostibus capta surripiat, peculatus tenetur quasi publicam rem interverterit.

Quod autem res captae intra modum debiti & futurae securitatis in captoris do-

---

Principis imperio omnia experiri in hostem, quod falsum esse liquido constat, bellum enim actus publicus est, qui nonnisi a publica auctoritate dirigitur. Liberi igitur & iniussi excursus nulli sunt legitimi in bello, & dimicationes singulares Principe non permittente non licitae.

(1) Varias eiusmodi Leges vide apud Real. *l. c. Cap. 2. sect. 5. n. 2. pag.* 421. *Huc referendus nonnullarum Europae Gentium mos, ut sua faciant quae capiunt subditi, qui sine stipendio, suo sumptu, suoque periculo navem praedatoriam adornant, & bellum in hostem gerunt, qui si adnuente & iubente Principe navigent, & mare excurrant* Armatori, *si eo inconsulto capta belli occasione navigantes adoriantur* Corsari *dicuntur. Alicubi tamen ii etiam qui privatis sumptibus navem instruunt partem praedae publico debent, aut ei qui ex publico ius habet.*

minium tranſeant vix ambigendum: ſi quis enim rem ipſam, quae nobis debetur, per pacem reddere nolit, ius dat ut per compenſationem & iuris noſtri expletionem de rebus ſuis eae nobis acquirantur, quae tanti ſint, quanti aeſtimandum eſt quod nobis ab eo debetur. Cum autem quod hoſtis hoſti debet in bello, ut ſupra monuimus, latiſſime pateat, & arbitrio bellantis relinquendum ſit quouſque vires hoſtiles minuendas cenſeat ut futurae ſecuritati proſpiciat, quae capiuntur ex hoſtibus ad expletionem iuris & debiti compenſationem legitime capta ſaltem externe, atque adeo capientium fieri exiſtimandum eſt inter Gentes.

Itaque praeda bellanti populo acquiritur ſimulac in eius venerit poteſtatem, nempe ubi in tutum locum & a vi hoſtium defenſum ſit abducta, ut ecce, intra praeſidia, vel in portum, aut ubi tota claſſis ſe tenet, tunc enim occupatio perfecta, & antiqui domini ſpem probabilem eam recuperandi amiſiſſe cenſentur; ſi enim facto impetu res ab hoſte captae illico recuperentur, antequam ad ſuos, vel in locum tutum ſe receperint praedatores, non ha-

bentur tamquam captae, & in praedatoris dominium translatae (1). Ceterum Iuri

---

(1) Itaque si militum manipulus praedam egerit intra fines hostiles, & peregrinus superveniens praedam illico emerit, si facto impetu ab iis qui praedam passi sunt res captae recuperentur, pretium amittit emptor qui citius quam par erat praedam mercatus est suo periculo. Vid. Wattel. Dr. des Gens. *Tom.* 2. *Lib.* 3. *pag.* 74. *Cap.* 13. §. 196. Grot. *Lib.* 3. *Cap.* 6. §. 3. *not.* 7. Loccen. *l. supra cit.* Caius *Iurisconf. in L.* 5. §. *ult. ff. De acquir. rer. dom. ait quod quae ex hostibus capiuntur Iure Gentium statim capientium fiunt, quod quidem verum est si res captae persecutionem effugerint, & intra fines vel praesidia nostra deductae fuerint, quod facile eruitur argum. L.* 19. §. 3. *L* 5. *& L. ult. ff. De captiv. & postlim. At si duo populi hostes sint, & alterius praedator alterius navim arripiat, tertius vero qui item praedatoris hostis est & amicus eius, cui res ablatae sunt, factam praedam recuperet, sibine aut alteri praedam passo acquirit? Si recuperata praeda ad nostros pertineat eam domino restituendam liquet; cum enim praedatores nomine publico praedam agant ministri iure censentur bellum gerentis, cuius munus est subditorum bona a publica & privata vi sarta tecta tueri, & ab hostibus capta recuperare. Si praedator se-*

Gentium conventionali tribuendus mos, qui inter Europae populos invaluit, ut non prius legitime quaeſitae praedatori res captae cenſeantur, quam per viginti quatuor horas in eius poteſtate fuerint.

Haec quidem dicta ſunto de mobilibus bonis, quae hoſtibus erepta capientium fiunt tum ob ſupra poſita argumenta, tum quod ſi ea vaſtare, exurere, corrumpere ad vires hoſtium minuendas licet, multo magis ſua facere, diſtrahere, & in pecuniam convertere licere dicendum eſt. Agrorum autem, caſtrorum, Urbium, Provinciarum occupatio bellica dominium occupanti non

---

cundus nobiſcum iunctus sit foedere bellico, praeda item domino ſuo reſtituenda, illud enim ſocietatis bellicae conſilium fuit, ut collatis viribus ſociorum omnium damna repellerentur. Idem dicendum eſt de rebus quas publici Piratae & latrones praedati ſunt, quae si ab amico populo recuperentur, & de earum identitate non ambigatur, domino reſtituendae, nisi tamen aliter aut pactis, aut Legibus, aut longa conſuetudine sit conſtitutum. Vid. Real. *l. c. Cap.* 2. *ſect.* 3. *n.* 10. *pag.* 433. *& quae infra dicemus* §. 9. *n.* 1.

parit ſtatim ac iis inſederit, ſed firma requiritur, manens, & duratura poſſeſſio, quae non acquiritur niſi armis poſitis iure ceſſerit hoſtis victus, aut populus interierit omnino; durante enim bello dum utrimque pugnatur, & occupati territorii recuperandi ſpes ab antiquo domino non amittitur, & occupans non illud animo domini tenet, licet ab eo interim poſſideatur (1),

Attamen uti legitimus captae Urbis vel provinciae poſſeſſor iure ſibi acquirit redditus omnes & iura, quae veteri debebantur domino vel Urbis Rectori (2). Qua-

---

(1) Si quis igitur urbem occupatam durante bello emeret, & Ius Gentium laederet, quippe qui ſpem eam recuperandi adimeret, atque adeo hoſtis fieret, & nihil iuris ſibi compararet, qui a non domino rem emit. Wattel. *l. c. Cap.* 13. §. 197.

(2) Vid. Quintil. *Inſtit. Orator. Lib.* 5. *Cap.* 10. *circa fin. ubi ſequens proponitur quaeſtio: cum Thebas evertiſſet* Alexander *invenit Tabulas, quibus centum talenta mutuo Theſſalis dediſſe Thebanos continebatur. Has qui erat uſus commilitio Theſſalorum donavit his ultro. Poſtea reſtituti a* Caſſandro

propter si dies solutionis venerit, & debitor mandato violenti possessoris coactus ei debitum solvat liberatur, & si Urbs postliminio recipiatur ad novam solutionem non cogendus debitor, nisi officiose victori non requisitus, ut eius gratiam iniret, solutionem sponte obtulerit, animo enim eius hostili & infenso, non necessitati facta solutio tribuenda.

§. 7. *De Iure Gentium in bello quod ad medios vel neutrales populos.*

Ex iis quae supra docuimus de dominio & Imperio Gentis, & de Neutralitatis substantia sequitur vim ex utraque bellantium parte in territorio pacato omnino illicitam, atque adeo res hostiles, aut hostes capere multoque magis eos interficere in amici aut pacati Principis territorio nefas sine

---

Thebani reposcunt Thessalos. Apud Amphictyonas agitur. Centum talenta & credidisse eos constat, & non recepisse &c. Vid Henr. Cocc. *ad* Grot. *Lib.* 3. *Cap.* 8. §. 4. *&* Grot. *Lib.* 3. *Cap.* 9. §. 9. *ibiq.* Gronov. *Not.* 37.

fine summi Imperii laesione (1); quisquis enim alienum ingreditur territorium & alieno iudicio subiicitur, & ab externa internaque vi auctoritate publica defenditur. Qui igitur hostem vel res hostiles in alieno impetit territorio & neutralitatem violat (2), & publica vi iure repellitur, nec ibi ab hoste res captae praedatoris fiunt; in alienae enim & pacatae ditionis territorio nullum

---

(1) Cum hostiles actus omnes in alieno territorio vetiti iure Gentium sint, eos qui in bello capti sunt e navi deducere, in territorio pacato exponere, & armata vi custodire non licet, violenta enim captivorum custodia quaedam est hostilitatis continuatio.

(2) Par cette raison, & parce que les étrangers ne peuvent rien faire dans un territoire contre la volonté du Souverain, il n'est pas permis d'attaquer son ennemi dans un pays neutre, ni d'y exercer aucun acte d'hostilité. La Flotte Hollandoise des Indes Orientales s'étant retirée dans le Port de Bergue en Norvege l'an 1666. pour échapper aux Anglois, l'Ammirail ennemi osa l'y attaquer; mais le Gouverneur de Bergue fit tirer le canon sur les assaillans. Wattel. *l. c. Lib.* 8. *Cap.* 7. §. 132.

eſt bellum, atque adeo nulla aut perſonarum aut rerum captura legitima.

Ceterum ſi quando fit ut bellum gerens praeſentis certique periculi vitandi cauſa locum, qui in pacato ſolo ſitus eſt, occupet, ne eum hoſtis invadat & inde inferat irreparabilia damna, aut quia eiuſmodi occupatio una ſit expediendae ſalutis via, id potius neceſſitatis, quam belli iuribus tribuendum: quapropter & occupatio facienda nullo pacati Principis detrimento, & occupatum ſolum reſtituendum ſimulac neceſſitas illa ceſſaverit. Quod ſi pacati territorii dominus metuat ne eiuſmodi occupatione belli calamitatibus implicetur cum maximo publicae ſalutis diſpendio, illatam vel inferendam vim vi & armis licite propulſabit; in pari enim neceſſitate melior eſt poſſidentis conditio (1), & cum ad medium unicum

---

(1) *Vid.* Grot. *Lib.* 2. *Cap.* 2. §. 10. Cocc. *Diſſert. De Iure bell. in amicos*. *Exercit. curioſar.* Tom. 2. *Diſſert.* 2. *Id factum eſt olim ab Ordinibus Belgii foederati in traiectu Moſae, Rhenoberga, Orſavia, Embrica, Veſalia, quas Hiſpani occupatas praeſidiis tene-*

ſibi proſpiciendi alicui eſt ius ſingulare quaeſitum, illud ab altero in pari neceſſitate occupari non poteſt.

Quia res ab hoſtibus captae capientium fiunt ſtatim ac in eius venerint poteſtatem (1), ſi populus, qui in bello medius eſt, ea a praedatoribus emat iure ſuo utitur, nec Leges neutralitatis violat, quippe cum neutris adhaereat partibus utrimque iuſte partam praedam cenſere debet, atque adeo antiquis dominis rei vindicatio non competit etiamſi ad Gentem ipſam, cui res in bello ablata, revertatur; dominium enim ſemel praedatori legitime iure belli partum amiſſum omnino a priori domino, nec ei ſine novo titulo acquiritur.

Quia tamen res immobiles, nempe agri, Urbes, oppida &c. licet ab hoſte infeſſa,

---

bant, & inde ſocios eorum infeſtabant. Gronov. *ad* Grot *Lib. c. Id etiam factum eſt non multis ab hinc annis, ſcilicet ann.* 1741. *a Bavariae Duce, qui poſtea Caeſar electus eſt, qui Paſſaviam urbem in confinio Bavariae, Auſtriae & Bohemiae poſitam invaſit, ne hoſti aſylum & via ad Bavariam eſſet.*

(1) Supra §. 6.

tamen in eius dominium & proprietatem non tranſeunt, ſi quis pacatus Urbem occupatam emeret aut pignori acciperet durante bello, Neutralitatis Leges violaret, & iuſtam praeberet antiquo Urbis Domino belli cauſam.

Uno verbo qui in bello medii ſunt ab actu hoſtili immunes omnino, ſi Neutralitatis Leges, quas ſupra expoſuimus, nullo pacto infringant; ſed quia faciles de violata Neutralitate praecipue commercii cauſa exorirentur querelae, & ne nimium late belli graſſetur incendium quaedam conſtitutae ſunt, commerciorum Leges belli tempore ſervandae, quae & naturali aequitati ſunt conſentaneae, & a Gentibus fere ubique in praxim deductae, quae ſunt huiuſmodi.

1. Si qua igitur in mari inveniatur oneraria navis quae ad pacati Imperantis ſubditos pertineat, & ad hoſtem merces prohibitas advehat, privato conſilio id tentaſſe mercatores praeſumuntur, nec ob eam cauſam Gentem univerſam pacis ius amiſiſſe intelligitur. Itaque in vectores proceditur tantum, & merces prohibitae in praedam cedunt, ſed ultra neque naves, neque mer-

ces aliae capientium fiunt, & pacatis mercatoribus restituuntur; eis nempe ad commercia exercenda in genere cum bellantibus etiam est ius perfectum dummodo ad hostes advehant quae nullum in bello usum habent.

2. Quia vero bellum gerenti res hostiles capere & in solo proprio & in territorio nullius licet, si navis pacem colentium merces hostium vehat, cogi possunt Nautae ut merces hostiles in portum aut partium, aut liberum deferant, soluto tamen naulo & vecturae pretio, quod ad pacatos spectare liquet.

Sunt tamen qui asserunt (1) eiusmodi Legem iniustam omnino duobus praecipue innixi argumentis. Aiunt igitur populorum pacem colentium ad industriam, navigationem, & commercium, quo sibi ad vitam substentandam necessaria comparant, ius esse perfectum, nec bello inter duas Gentes exorto ius istiusmodi aut suspendi aut tur-

---

(1) Hübner. De la Saisie des Bâtimens Neutres. *Cap.* 2. §. 5. *& seqq.*

bari poſſe, dummodo quod alteri bellum gerenti tribuitur, alteri non denegetur; ergo navem hoſti locare ad eius merces non interdictas aut importandas aut exportandas licitum, atque adeo iniuria eas merces occupari ab hoſte, cum eo pacto navigationem pacati populi turbet aut impediat omnino non ſine iuris Gentium violatione.

Huc accedit quod cum in ſolo pacato res hoſtiles occupare & diripere Iure Naturae vetitum ſit, & naves ad pacatos Populos pertinentes veluti eius Populi territorium habeantur, merces hoſtium ibi repertae in praedam cedere iure belli non poſſint; vis enim hoſtilis in pacato & alieno territorio omnino illicita.

Haec tamen quae ad veritatem propius accedere videntur facile diluuntur ſi huc revocentur quae alibi de officiorum colliſione & iure neceſſitatis diximus. Bellum enim gerenti ius itidem eſt perfectum ad minuendas in infinitum hoſtium vires, atque ad rerum merciumque capturam, quae in pecuniam redactae vel cum aliis mercibus permutatae hoſtium vires augerent, ut diutius bellum gerenti reſiſterent; atque adeo

ſi in eiuſmodi iuris perfecti exſecutione pacatus Populus detrimentum aliquod patiatur id potius infortunio, quam iniuriae tribuendum. Quin potius apprime laudandam Bellantium modeſtiam & manſuetudinem cenſeo, qui in Nautas operas ſuas hoſti locantes agere veluti in hoſtes poſſent, attamen minimo quo fieri poteſt damno ad naturalis Legis normam exſequuntur ius ſuum, nec quicquam pacatis eo nomine nocent, quippe qui & ab eorum mercium, & a navis captura abſtinent, & ſi alio advehere cogant hoſtium merces vecturae pretium ſolvunt.

Nec mercatoria, aut vectoria navis tamquam neutralis aut pacati populi territorium haberi poteſt, ut nonnulli arbitrantur, nam qui in mari libero navigant per ſe non differunt ab iis, qui in deſerto loco, aut in ſolo nullius peregrinantur, qui ſi ab hoſtibus inveniantur tamquam amici & pacati habentur ſi liquido oſtendant ſe ad pacatam Gentem pertinere. Publicae autem Literae quibus navium Magiſtri muniuntur eam ob cauſſam a ſumma eis traduntur Poteſtate ut de navigantium

Civitate conſtet, non ut qui in navi vehuntur veluti in Civitatis territorio cenſeantur; quod ſi illatam navigantibus iniuriam Princeps vindicet, & reparationem expoſcat, non laeſi territorii iure agit, ſed quod illud ſit ſummi Imperantis officium, ut ſubditos ab externa internaque iniuria indemnes praeſtet.

Sed quamvis hoſtiles merces, licet non interdictae in pacatorum navibus repertae iure diripiantur in bello, attamen optandum eſſet, ut Europae Populi a ſummo Naturae Iure recederent, commerciorum enim ſuſpenſio & perturbatio belli tempore non tantum pacatis populis fere omnibus, ſed etiam utriſque bellantibus non exiguum afferunt detrimentum, praeſertim cum noſtris temporibus bella multoties non populorum, ſed Principum aut ſummorum Imperantium concertationes ſint, quae tandem tranſactione aliqua componuntur (1). Sed haec ad

(1) *Vid.* Mably. Droit Public de l'Europ. *Tom.* 2. *pag.* 321. *& ſeq. Mos quidem ſummopere laudandus apud Turcas eſt, ut ſi*

prudentiam Politicam pertinent, nos autem quid iuſtum ſit in bello tantum exponimus.

3. Licet igitur bellum gerentibus pacatorum naves in mari libero excutere & inſpicere an inſtrumenta bellica, aut merces hoſtiles occultent, & an re ipſa ad amicos populos pertineant.

4. Quapropter iubentur navium Magiſtri, ut Inſtrumenta & publica & privata in promptu habeant, quibus de navis & mercium dominio, qualitate & quantitate conſtet, & ſua nautarumque neutralitas manifeſte appareat, & quibus plena adhibenda fides, niſi fraudis aut doli probabilis ſuſpicio ſit.

5. Et quia nulla alia impoſita eſt obligatio pacatis navium Dominis, niſi ut inſpectionem & excuſſionem patiantur, propoſito Civitatis ad quam pertinent vexillo, atque adeo neutralitatis indicio, eius qui bellum gerit officium eſt petere, ut oppor-

---

in mari navigium pacati populi inveniant, numquam diſquirant an merces ad hoſtem pertineant.

tuna exhibeantur inſtrumenta, atque adeo vel unum vel plures nauticarum rerum peritos ad mercatoriam navem mittere, qui & inſtrumenta ipſa, & navem, nautaſque & merces examini ſubiiciant, & ad Magiſtrum referant bellicae aut praedatoriae navis.

6. Si quis Inſtrumenta legitima vel non habuerit, vel in mare proiecerit velut hoſtis habetur, donec contrarium manifeſte appareat.

7. Non prius tamen capta navis capientium fit, aut Fiſco aliiſve quibus ſummus Imperans praedam conceſſit addicitur, quam per Iudices, quos Admiralitatis vocant, aut alios a Principe, cui praedatores ſubiiciuntur, conſtitutos legitime capta declaretur.

Quae omnia naturali aequitati & rationi conſentanea ubique fere inter cultiores Europae Populos publicis pactis (1) ſunt

---

(1) Foedera eiuſmodi percuſſa ſunt inter Gallos *&* Anglos, *inter* Gallos *&* Belgas *foederatos*, *inter* Hiſpanos *et* Anglos, *inter* Anglos *et* Ruſſos, *inter* Svecos *et* Anglos,

confirmata, atque adeo Principum fides duplici quasi vinculo obstricta.

§. 8. *De Jure Postliminii.*

At si personae aut res captae vel benignitate fortunae, vel hostis humanitate, vel quod ita inter se pepigerint bellantes in nostram denuo redeant potestatem quid iuris? Facilis est eiusmodi quaestionis solutio si nostra huc de more revocentur principia. Cum illud officium sit Civitatis eiusve rectoris ut privatorum libertatem & dominia defendat & ab externa internaque vi tueatur, atque adeo iniurias singulis illatas publica vi publicisque impensis vindicet, si res in bello ablatas recuperet, aut subditos ab hostium liberet captivitate, omnia in pristinum statum restituenda esse manifeste liquet, ob eam enim caussam praecipue in societatem

---

aliosque populos, qui commercium exercent: quae quidem videnda apud Mably. Droit Public de l' Europe. Dumont. Corps Diplomatique. Rousset. Recueil d'Actes, Traités &c. *qui omnes publicas gentium Tabulas in unum collegerunt.*

coniuncti homines ſunt, ut privata cuiuſque iura viribus in commune poſitis ſarta tecta ſerventur, & vindicentur ablata. Haec rerum & perſonarum, quae ab hoſte in bello captae ſunt in priſtinum ſtatum reſtitutio *Poſtliminium* dicitur, ex reditu nempe in limen, vel fines publicos. Quapropter quae denuo in noſtram redeunt vel recipiuntur poteſtatem veluti numquam capta ab hoſtibus praeſumuntur.

§. 9. *Conſectaria*.

1. Si pactum ſociale ſpectes tam mobilia quam immobilia (1) poſtliminio redire liquet, & ſuis dominis reſtituenda; attamen fere ubique privata Lege ſtatutum eſt ut mobilia bona in bello capta vel Fiſco addicantur, vel captoribus in prae-

---

(1) Quod ad immobilia apposite Pomponius *in* L. 20. §. 1. *De Capt. et poſtlim.* Expulſis hoſtibus ex agris quos ceper nt dominia eorum ad dominos redire. *Vid.* Samuel. Cocc *ad* Grot. *Lib.* 3. *Cap.* 9. §. 14. *qui aſſerit contra ſententiam* Grotii *generatim conceſſum ius poſtliminii etiam rebus mobilibus, paucis tantum exceptis.*

dam cedant, nec poſtliminio recipiantur, tum quia difficile eſt ſtatuere an receptae ab hoſtibus res eaedem ſint quae privatis ablatae fuerunt, tum quod certa ſpe futurae praedae excitantur qui propriis ſumptibus, proprioque periculo naves parent praedatorias, quibus hoſtium vires imminuant.

2. Et quia qui nobiſcum ſocietatem inierunt bellicam una cum principali bellum gerente perſona cenſentur, ſi res captae ad eos pervenerint poſtliminium valet, in poteſtatem enim bellantis rediiſſe exiſtimantur.

3. Apud pacatos tamen qui amici ſunt, ſed non eamdem cauſſam fovent, & neutras partes ſequuntur, ius poſtliminii non eſt, atque adeo mobilia quocumque pacto per commercium parata manent eius qui emit, nec in pacato reperta territorio vindicandi ius eſt veteri domino.

4. Poſtliminio etiam carent qui armis victi hoſtibus ſe dederunt (1); deditione

---

(1) *Vid. Leg.* 17. *ff. de Captiv. et poſtlim.*

enim facta non captivi ſed ſubditi victoris fiunt, cuius Imperio parere ſpondent. Et cum fides hoſti data ſervanda, nec poſtliminio redire, nec recipi ſalva fide poſſunt (1). Idem dicendum de iis, qui capti in bello ut duriorem vitent cuſtodiam ſe ad ſuos invito & inconſulto captore non redituros promiſerunt.

5. Si tamen ius ſibi quaeſitum aut remittat victor, aut captos deditosve deſerat, in priſtinum reſtituuntur, atque adeo iure gaudent poſtliminii, licet eius iuris remiſſio viribus aut impenſis Civitatis, ad quam ante deditionem pertinebant, accepta referenda ſit, id enim Civitas civibus debet per ſociale pactum, ut privatorum iura tueatur & per iniuriam ablata vindicet: excuſſo igitur hoſtis Imperio ad primaeva iura redeunt dediti poſtliminio,

---

(1) *L. 5. ff. de Captiv. et poſtlim. §. 2. Et ideo in* Attilio Regulo, *quem Carthaginenſes Romam miſerunt, reſponſum eſt non eſſe eum poſtliminio reverſum, quia iuraverat Carthaginem reverſurum, et non habuerat animum Romae remanendi.*

nisi forte malo consilio & proditorio animo a Civitate sponte defecerint, & in hostium transierint partes nulla necessitate coacti, in eos enim quasi in transfugas & perduelles Civitas iure agere posset.

6. Iura igitur & obligationes omnes, qnae ad captivos pertinent durante captivitate suspenduntur tantum, non extinguuntur, quippe qui cum postliminio redire possint, & in pristinum restitui statum absentibus aequiparantur, qui de rebus suis disponendi ius non amittunt, quamvis ab actuali facultàtum quarumdam exercitio per absentiam impediantur. Itaque & eorum testamentum validum in captivitate factum (1), & Matrimonium ante captivitatem initum, si alteruter coniux capiatur ab hostibus, indissolubile, nisi aliter civilibus loci Legibus sit constitutum.

§. 10. *De Pactis hostium Publicis durante bello, ubi de Induciis.*

Interdum aut necessitate exigente, aut pacis componendae caussa bellum quodam-

---

(1) *Discord. L.* 18. *et* 22. *ff. de Captiv. et postlim. reverf. L.* 12. *eod.* §. 4. *et* 5.

modo utrimque ſuſpenditur, & hoſtiles actus aut omnino, aut in parte ſaltem intermittuntur, quae quidem ſuſpenſio & intermiſſio *Induciae* vocantur. Induciae igitur pactum publicum ſunt a ſummis Poteſtatibus bellum gerentibus, vel a ſupremis belli ducibus earum nomine & mandato initum (1) ne invicem in datum tempus ſe laceſſant, & hoſtiles actus utrimque ſuſpendantur manente tamen bello, cuius induciae veluti feriae quodammodo haberi poſſunt; idem enim rerum ſtatus quamvis actiones hoſtiles, quae ad bellum ſpectant ceſſent omnino. Si ad actus omnes hoſtiles, & ad quemcumque locum induciae extenduntur *generales*, ſi ad nonnullos tantum *particulares* dicuntur: primae non ſine explicito Principis conſenſu, aut ſpeciali mandato, alterae in vim generalis mandati ab Imperatoribus, aliiſque minoribus etiam Poteſtatibus, quibus belli adminiſtratio commiſſa, decernuntur, quamvis ſecundae armorum ſuſpenſio potius vel *armiſtitium*, quam Induciae nuncupentur.

§. 11.

(1) *Vid. L. 19. §. 1. ff. de Capt. et poſtlim.*

§. 11. *Consectaria*.

1. Suspenditur igitur bellum, non finitur Induciis, & constituto tempore transacto nova belli denunciatione opus non est.

2. Induciae non valent nisi postquam utrimque publicatae fuerint ad eos omnes, quibus actus hostiles commissi, quapropter si medio tempore aliquid hostile agatur, quod hosti damnum, agenti absolutum afferat emolumentum, restituendum id quod hosti abest si fieri possit, puta res captae restituendae; si damnum autem irreparabile, id infortunio tribuatur oportet, ut ecce rerum vastatio, incendium &c.

3. Induciarum tempore igitur omnia inter bellantes eo consistunt loco, quo ante inducias fuerant, quod autem ad praesens tempus, factis induciis, commercia omnia pacis perinde exercentur, ac si numquam antea bellum fuisset, nisi aliter inter paciscentes convenerit.

4. Tunc igitur temporis non est postliminium (1), nec transfugae recipiendi.

(1) *Concord. L.* 19. §. 1. *ff. De Captiv. et postlim.*

5. Cuique tamen intra fines territorii quidlibet facere licet, dummodo ab hoſtili actu abſtineat. Hoſtile ne eſt defenſionem parere? Dirutos ex. gr. muros inſtaurare, caſtra immutare, aggeres, munimenta excitare, militiam legere, & cetera iſtiuſmodi? Non hoſtile eſſe, nec contra inducias aſſerunt multi (1), nec quidem immerito; hoſtile enim proprie dicitur, quod vim publicam in alteram partem continet.

6. Quapropter ſi Urbs obſidione clauſa, nihil hinc inde agendum eſt quod vel ad offenſionem vel ad defenſionem pertineat.

7. Si quid publico conſilio hoſtile admittatur, Induciae violatae, & iura belli ex altera parte illico reviviſcunt (2); ſi privato, indemnis praeſtandus hoſtis, &

---

(1) *Vid.* De Real. *l. c. Cap.* 3. *ſect.* 6. *pag.* 580.

(2) *Qui enim non implet quod ex ſua parte implere tenebatur, alterum a contracta obligatione liberat defectu ſcilicet conditionis, quae contractui vel pacto ineſſe intelligitur, si nempe altera pars datam fidem ſervet.*

violator puniendus (1). Cetera de quibus vel publice vel private pacifcuntur hoftes in bello, ut ecce, commeatus, five facultas fubdito hoftis data ut per territorium hoftile tutus eat redeatque, conventiones & pacta (2), quae deditionibus

---

(1) *Nec si privatus hoftile quid admiferit induciae ruptae dicuntur nisi prius oftendatur factum illud publice probatum fuiffe, ad quod tria requiri liquet, fcientiam nempe, puniendi potentiam, et neglectum; factum enim alienum eo pacto imputatur Reipublicae, quae vel impedire poterat, vel faltem admiffum punire, quod ni faciat legitime praefumitur aut eius imperium aut faltem ratihabitio.*

(2) *Sunt quaedam folemnia in Capitulationibus pangendis, et in deditionibus fervanda Jure Gentium conventionali, quae identidem immutari poffunt, et quae adeo immobilibus Legis Naturae regulis non fubiiciuntur, fed potius a munere quod cuique Urbis vel Arcis defenfori impofitum eft pendent. Et revera haec diverfa apud veteres, diverfa apud Gentes quae medio aevo floruerunt, diverfa etiam hodiernis temporibus. Vid. tamen* Real. *l. c. Cap.* 3. *fect.* 3. *pag.* 586. *qui formulas deditionum et capitulationum folemnes late perfequitur.*

apponuntur ab Urbium caſtrorumque defenſoribus (vulgo *Capitolazioni*), pacta conventa de captivorum redemptione (1), & cetera huiuſmodi uberiori explicatione non indigent, quae enim diſputari de iis poſſunt omnia & a generalibus pactorum regulis & a mutuo paciſcentium conſenſu pendent.

§. 10. *De Iure Victoriae.*

Reliquum eſt igitur ut de Iure victoriae dicamus. Itaque cum pia & iuſta arma ſint quibus neceſſaria, nec aliud belli obiectum & conſilium ſit niſi vel ut illatam vindices iniuriam, vel inferendam avertas, in victum nullum ius belli. Victus dicitur is qui vel ſponte vel invitus etiam arma ponit, nec amplius iuris tui executioni adverſatur. Aut victoria igitur abſoluta & univerſalis bello finem imponit, & populus omnis in quem bellum geritur ſubiugatur, aut eius pars tantum; ſi populi pars dat manus victas, ceſſat illico ius belli, nihilque aliud iuris in victos acquiris, niſi quod

(1) Cartello *dicitur, de quo ſupra nonnulla diximus.*

ipſa tibi ſuadet neceſſitas ut in fide maneant, & ab eorum caveas futura laeſione (1). Si igitur Imperium Civile in te deferant, ſi arma ponant, arces, munimenta tradant, tibique ſe in poſterum ob-

---

(1) *Egregie* Cicero *De Off. Lib.* 1. *Cap.* 11. „ Et cum iis, quos vi deviceris, conſulendum eſt, tum ii qui armis ad Imperatorum fidem confugiunt, quamvis aries murum percuſſerit, recipiendi ſunt: in quo tantopere apud noſtros iuſtitia culta eſt, ut ii, qui Civitates aut Nationes devictas bello in fidem recepiſſent, eorum patroni eſſent more maiorum „ *Quapropter non ſine aliqua indignatione legi poſſunt quae habet* Hugo Grotius *de iure victoris, cui omnia licita eſſe in deditos, qui eius arbitrio ſe permiſerunt, affirmat, tanta eſt apud eum veterum ſententiarum, & antiquae tum Graecae tum Romanae Hiſtoriae auctoritas; quaſi vero tot ſint Naturae* Leges, *quot apud hiſtoricos inveniuntur aut Imperatorum, aut Ducum effata, & ad opportunitatem cauſae dicta. At Hiſtoria non tantum quae iuſte, ſed quae inique, iracunde, molliter, impotenter facta ſunt narrat, atque adeo ab eiuſmodi narrationibus iura Gentium derivare & ſtultum & abſurdum eſt. Vid. eius Lib.* 3. *Cap.* 20. §. 49. *n.* 2.

temperaturos iureiurando debellati Cives fidem obſtringant, iam ex hoſtibus ſubditi fiunt, & non belli legibus ſed Imperii Civilis iure regendi.

Si tamen ſuſpecta deditorum fides, certumque defectionis periculum imminet, quin expugnatas Urbes depraedari, vaſtare, incendere victor poſſit, victoſque veluti captivos cuſtodire neceſſitate exigente non ambigendum. Tunc igitur inter victos victoremque belli ſtatus durat, nullum enim legitimum Imperium niſi in conſentientes.

Cum vero univerſus ſubigitur Populus, & abſoluta victoria fracti hoſtes omnes dant manus victas, nullum aliud ultima victoria ius paritur quam exigendi quod bello cauſam dedit, additis belli impenſis, reparatione damni, & futurae laeſionis cautione: quae tamen cum iudicio victoris permittenda ſint, ſequitur victoris Legibus a victis obtemperandum, qui ſi in reparationis quantitate, & futurae cautionis ſufficientia decernenda modum excedat, Legem Naturalem internam violat, externe tamen impunis. Si igitur ad futuram praecavendam iniuriam neceſſarium exiſtimet victor ſubacti Populi oc-

cupare imperium, id licite efficiet, namque in id tacite consensisse Populum, qui se Victoris arbitrio permisit, iure praesumitur, nec eo pacto laesum dixeris hostem, quod iniuste bellando ad id redegerit Victorem, ut ei civilem eripiat libertatem iure necessariae & inculpatae tutelae.

Nec tamen ultra progreditur Victoris ius. Victis deditisque parcendum diximus, & ipsa universi Populi deditione ius omne belli extinguitur, per eam enim in Victorem tacito consensu Civile transfertur Imperium. Et quidem si sine conditionibus Victori se permisit Populus, translatum tacito consensu Imperium summum est & absolutum quale apud populum fuit; non tamen herile, non patrimoniale ad regentis sive domini tantum utilitatem (1), servorun enim

---

(1) *Ridicula omnino sunt argumenta quae ab* Hugone Grotio *afferuntur Lib.* 1. *Cap.* 3. §. 8. *n.* 6. *& seqq. qui Imperium publicum Dominio privato comparat, iisdemque modis utrumque acquiri posse contendit, & servorum familiam in Civitatem coalescere posse docet, quod omnino absurdum & Civitatis consilio & obiecto contrarium. Inter Dominum & ser-*

nulla umquam Civitas fuit, nec id ius in victorem transferre populus potuit, quod non habuit; perfectam enim ſervitutem a barbaris Romanorum Legibus inductam exſecrabile monſtrum eſſe diximus praeter hominis Naturam, eiuſque aeternas, & inviolabiles Leges.

Ceterum ſi Imperium ſummum & abſolutum nulla appoſita translatum ſit conditione, poterit victor eo uti tamquam iure proprio, illudque vel ipſe ſeparatim adminiſtrare, vel iubere ut Populus eſſe deſinat, (1) & alterius Civitatis acceſſio fiat, vel etiam ſi libeat in alium transferre; haec enim omnia Populus poterat, in cuius iura Victor ſucceſſit, dummodo quicumque Im-

---

vum nulla amicitia eſt: etiam in pace, Belli tamen iura ſervantur. Quint. Curt. *Lib.* 7. *Cap.* 8.

(1) *Interit enim Populus, ut ſupra monuimus, ſi Maieſtatem amittat & alterius Populi ditionem ſubeat in Provinciae formam redactus; Imperio enim publico exuitur, & iure proprii Magiſtratus, & alienis vivere Legibus cogitur.*

perio potitur eo utatur ad utilitatem tantum parentium.

Et cum Populus fundorum qui singulatim in Cives divisi sunt dominium tantum eminens habeat, privata singulorum dominia ad victorem non transeunt, quae enim Civitatis iura non sunt ea sibi victor iure non vindicat; & quamvis aliquando exigat ut belli impensas reficiant victi, id tributorum non privati dominii nomine exigitur.

Sapientissimum victorem dixeris, qui deditum populum veluti Imperii accessionem & incrementum, non ut profligatos hostes respiciat, eosque loco civium & subditorum habeat, quorum felicitatem curaturus publicis prospiciat necessitatibus cum minimo eorum dispendio.

Id tandem senserunt Reges, & dum in Iurisconsultorum (1) scholis victoris iura in infinitum extenduntur, incredibilis modestiae & temperantiae exempla exhibent, & na-

---

(1) *Vid.* Henr. Cocc. *Disput. De Iure Victor. Vid.* Samuel. *eius Fil. in Dissert. ad* Grot. 12. §. 754. *ubi omnia in victos victori licere docent.*

turali iuſtitiae manentem & duraturam ſociantes utilitatem, pacatis rebus, ſibi devictorum fidem expreſſo obſtringunt iureiurando, & ea tantum imperantes, in quae liberi homines Rectoribus parent, beneficiis optimarumque Legum ſanctionibus amiſſae libertatis dolorem delinire, & novae ſocietatis, cui nomen dederunt, charitatem excitare curant, rati propagatione Imperii, populique ſubditi incremento indemnitati ſuae ſatis conſultum, nullumque diuturnum aut legitimum Imperium eſſe poſſe niſi in conſentientes; vix enim fieri poteſt ut vel populus ullus, vel homo tantum in ea conditione, cuius eum perpetuo poeniteat, diutius quam neceſſe ſit maneat; ibique tantum pax fida & perpetua, ubi voluntarii pacati ſunt, numquam eo loco ubi ſervitus eſt ſperanda (1).

(1) *Vid.* Liv. *Lib.* 8. *Cap.* 21.

CAPUT XIV.

De Pactione Pacis.

§. 1. Raro tamen extrema bellantes experiuntur incerti belli discrimina, infirmiores enim multoties metu trepidi, ut ingruente tempestate in navi fit, iactura aliqua praesentem redimunt belli calamitatem, ultimumque Imperii & Libertatis excidium; qui autem plus valent, aut pares sibi videntur, saepe cogitant quam multae quamque improvisae in bello mutationes accidere soleant, atque adeo & propriae consulentes utilitati & naturali iustitiae aurem praebentes ad pacis pactionem convertunt animum, & percusso amicitiae foedere praeliis & concertationibus finem imponunt; iustum enim & sapientem virum decet belli initia invitum suscipere, extrema non libenter sequi, bellicas actiones si necessarias humanitate temperare, uno verbo pacis causa bellum iustum gerere.

Itaque quemadmodum bellum gerere ita & pacem componere ad iura pertinet

Maieſtatis, atque adeo ad eum in quem Imperium Civile translatum, niſi aliter Lege fundamentali ſit cautum, & dummodo poteſtate ſua libere uti poſſit. Si igitur Rex infans vel imminutae mentis ſit, ius componendae pacis apud eos eſt, ad quos ſummi Imperii exercitium iure devolvitur. De Rege captivo ambigitur an pacem facere poſſit, & poſſe dicimus, quippe qui abſenti aequiparatur, cuius iura non extinguuntur atque adeo intra fines adminiſtrationis valide cum hoſte paciſcitur. Quaeſitum eſt an cum uſurpatore pax componi poſſit. Si in eum a Populo Civile translatum eſt Imperium, & fides data ut ei tamquam Regi pateat, Pacem licite cum eo fieri vix ambigendum; cum enim alienae Reipublicae adminiſtrationi ſe immiſcere Gentibus illicitum ſit, actualem in contrahendo ſequi poſſeſſorem coguntur, ut ſupra diximus, nec ad eas pertinet iudicium iure an iniuria ſummum Imperium Rector Civitatis poſſideat.

§. 2. *De Pactionis natura, & Amneſtia.*

Ceterum cum ad pacem pangendam convertuntur bellantes de re controverſa

transfigunt, non belli caufam decidunt, nec de perfecta iuris fui reparatione agit is cui quid ex quacumque caufa debetur: quapropter certas de pace componenda regulas tradere nefas, cum omnia a contrahentium confenfu pendeant, & fi qua circa pacis conventiones quaeftio exoriatur, rectae interpretationis Regulis, quas alibi expofuimus, res controverfa definitur (1). Exinde factum eft ut qui de Pacis pactione ineunda conveniunt ante omnia generalem decernant Amneftiam, quae eft eorum, quae

---

(1) *Ea omnia, quae affert* Grotius *Lib. 3. Cap. 20. §. 5. & feqq. circa conventiones pacis interpretandas, a Regulis rectae interpretationis pendent, nec omnia vera funt. Vid. cit. Cap. ubi & hic denuo profert fuam illam de favorabilibus & odiofis regulam, quam alibi refutavimus. Multa infuper addit ut doceat quando pax rupta intelligatur: ea omnia inutilia effe cenfeo, nam quando Pax violetur ex Tabulis foederis inter Gentes bellantes percuffi, & ex mente & confilio contrahentium deducitur, quae quidem generalibus regulis complecti nefas omnino.*

utrimque in bello & belli cauſa (1) geſta ſunt publice ſancita oblivio, ita ut damna illata, hoſtilitates, iniuriae, expenſae penitus ultro citroque deleantur, & facta cenſeantur tamquam infecta. Eo pacto, refraenata ira animiſque ad pacem compoſitis, quae reſtituenda, quae praeſtanda hinc inde ſtatuitur publico Foedere, cuius fidem ſanctiſſime ſervandam multoties docuimus (2).

---

(1) *Ergo non ea quae ante bellum, aut non belli cauſa geſta ſunt delentur, ut ecce, ſi quis contractu inito aut nomine poenae privatae durante bello debere incipiat. Vid.* Grot. *Lib.* 3. *Cap.* 20. §. 18. *& ſeqq.*

(2) *Nec fidem bellica vi & metu extortam dixeris; quae enim vis publico infertur bello iuſta eſt, atque adeo ob eam cauſſam promiſſiones irritae reddi non poſſunt, quod & ſupra monuimus.* Cic. *De Off. Lib.* 3. *Cap.* 28. Eſt autem ius etiam bellicum fideſque iurisiurandi ſaepe cum hoſte ſervanda. *Vide unde utilitatem promiſſionis derivet* Monteſquieus *Eſprit des Loix Tom.* 2. *pag.* 162. *edit. Genev.* 1749. *qui ſane non ab omnibus probabitur, cum doctrinam ſuam ab abſurdo* Hobbeſii *ſyſtemate mutuaverit.*

Itaque quae de Induciis diximus & hic valent, nempe ut poſt perfectas Pacis pactiones capta reſtituenda ſint, damna vero quae reparare nefas infortunio tribuenda, ſi illata ab hoſtibus fuerint antequam ad eos Pacis notitia legitime pervenerit: quae damna ut vitentur ſolent bellantes Populi qui de Pace acturi ſunt Armiſtitium interea temporis decernere.

Sed an pacis cauſſa Imperii pars a Civitatis Rectore alienari poſſit dubitarunt nonnulli, quod non probe Ius Imperii ab Iure privati dominii diſcreverint. Qui de ſocietatis & Imperii Civilis origine & natura principia attento animo relegerit facile in eam ibit ſententiam legitimum Imperium nullum eſſe niſi in conſentientes, atque adeo vel Regni totius vel partis eius translationem fieri non poſſe ſine expreſſo aut tacito eorum, quorum intereſt, conſenſu (1).

---

(1) Vid. Grot. *loc. cit. ubi ſuam illam repetens diviſionem in Regna, quae in patrimonio, & in ea quae in uſufructu habentur, totam de Pactione pacis doctrinam confundit.*

Exinde tamen non ſequitur alienationes pacis cauſſa factas invalidas eſſe; validitas tamen ex eo pendet quod ſummo Imperanti inevitabili neceſſitate coacto ius ſit ſe obligandi ne in poſterum abdicatum vindicet Imperium. Quod ſi Lege Regia, & ut aiunt fundamentali ſit cautum ne Regi liceat Regni partem in alium transferre, abdicatio irrita omnino, ni totius populi, qui publicam Legem tulit, conſenſus accedat (1).

CA-

---

(1) Quamvis Regna, quae patrimonialia dicuntur, transferri in alium a ſummo Imperante poſſint, ea translatio conſenſu implicito populi ſit, qui in ſummi Imperii translatione in id conſenſit.



CAPUT ULTIMUM.

De Legationum Iure.



§. 1. *Origo Legatorum.*

Sed nec commercia exercere inter ſe Gentes, nec res & operas invicem communicare, nec foedera pangere, nec vel exoritura, vel exorta bella compeſcere, pacemque componere poſſent, quae omnia naturalia officia Gentium diximus, ni aliqua eſſet negotia expediendi ab ipſa Naturae Lege parata & propoſita via. Cum igitur memorata inter Populos officia expleri nequeant niſi per Legationes, ſequitur Legationum Ius perfectis Gentium Iuribus eſſe adnumerandum, atque adeo Legatos ſine cauſa, & extra officiorum colliſionem (1) reiiciendos non eſſe.

(1) *Cum tamen de cauſa, & colliſionis caſu iudicium ſit penes recipientem, ſequitur ius illud perfectum in genere, particulatim &*

§. 2. *Quibus Ius Legationum.*

Legati (1) ſunt qui a Populo libero ad Populum liberum mittuntur Negotii publici gerendi cauſa.

---

in ſpecie imperfectum fieri: itaque mos invaluit inter Gentes ut priuſquam Legati mittantur interrogetur Civitatis vel Populi Rector an velit Legationem admittere.

(1) *Legatorum nomine veniunt Miniſtri publici omnes quocumque titulo decorati ſint, dummodo mandatum habeant, & a Principe ad Principem miſſi ſint. Alteri tamen ab alteris iure quodam conventionali, & conſuetudinario differunt, quod ad externa honoris indicia, dignitatis locum & praecedentiam ſi una apud eumdem Principem, & in eodem loco inveniantur, quod quidem admiſſis Legationibus aſſiduis ſaepiſſime contingit; quae tamen omnia pactis & conventionibus, non Iuri Gentium accepta tribuenda ſunt: quae enim tamdiu & tam acriter diſputata ſunt inter Legatos de praecedentia & dignitatis ordine innituntur praeſumptis Principum, a quibus mittuntur, praerogativis, quae nullum in Iure Naturae fundamentum habere diximus. Attamen ut eiuſmodi controverſiarum inter Gentes aliquis fieret modus non multis ab hinc annis in tres ordines Legati diſtincti ſunt, quorum tamen omnium munus idem,*

Eos igitur non mittunt nisi qui summi Imperii sunt compotes (1), quibus accen-

---

eademque generalia Iuris Gentium privilegia, licet alteri alteros praecedant, externaque pompa, & honoris praerogativa alteri prae alteris decorentur. Primi igitur ordine veniunt Legati (Imbasciatori) *tam ordinarii quam extraordinarii, quorum tamen praecedentia inter se non bene adhuc est constituta.*

Inferioris ordinis sunt Inviati *tam extraordinarii quam Ordinarii, &* Ministri Plenipotentiarii, *qui Legatis proprie dictis cedunt.*

In tertio tandem ordine constituuntur i Residenti, Incaricati degli affari, Ministri senza carattere, Segretarj d' Imbasciata, Consiglieri d' Imbasciata, Commissarj *etiam dummodo & mandatum habeant, scilicet Litteras Credentiales, & de rebus publicis agant; si enim vel non habeant, vel publice non exhibeant Litteras Principi ad quem mittuntur Ministri publici non habentur, nec differunt ab iis quos vocant* Negoziatori senza qualità, o Agenti, *qui veluti privati Procuratores habentur. Vid.* De Real. Dr. des Gens. *Cap.* 1. *Sect.* 1. 2. & 3. Wicquefort Mémoir. touch. les Ambassad. *pag.* 3.

(1) Wicquefort L'Ambassad. & ses fonct. *Lib.* 1. *sect.* 2. *Exinde factum est ut eos quos miserat Foederatum Belgium ad Monasteriensem congressum veluti publicos Ministros aut*

ſendi & qui inaequali foedere coniunguntur, de quibus alibi diximus, ſi illaeſa Iura Maieſtatis ex foedere ſuperſint (1).

Legatos agnoſcere recuſaret Hiſpaniae Rex, quippe qui eam Gentem non adhuc liberam eſſe, atque Iure ſummi Imperii gaudere ajebat. Qui a Provinciis ſubditis ad Principem publici etiam negotii gerendi cauſa mittuntur non Legati, ſed Deputati *tantum dicuntur. Ea de cauſa Urbes Hanſeaticae, quae noſtris temporibus ad tres tantum redactae ſunt, ius Legationis non habent, quia liberam Gentem non conſtituunt. Nonnulli tamen licet ſummo Imperio potiantur, attamen cum ob exiguitatem territorii nec ordinem nec ſtatum, ut ita dicam, inter ceteros Europae Principes habeant a mittendis Legatis in praxi abſtinent, & ſi quos mittant ad propria negotia gerenda ad alium potentiorem Principem, ii tamquam privatae perſonae non tamquam Miniſtri publici ſpectantur.* De Real. *l. c. Cap.* 1. *ſect.* 6. §. 13. Loyſeau. Traité des Seigneuries. *Cap.* 2. *n.* 95.

(1) *Quapropter & qui Regnum quaſi Feudum ab alio poſſident ius Legationis habent, ut Italiae & Germaniae potiſſimum nonnulli Principes, qui licet Caeſaris tamquam Imperii Germanici Capitis Vaſſalli Legatos non tantum ad Principes Europae, ſed & ad*

Interdum Civili bello exorto si populus universus in contraria scinditur Legationis ius necessitate exigente valere dicimus; dissolvitur enim quodammodo Civitatis vinculum, summumque Imperium partes bellantes utrimque sibi vindicant, Legisque Naturalis consilio & obiecto contrarium statuunt, qui Partibus denegatum medium unicum asserunt discordiae sedandae & redeundi in gratiam (1).

---

ipsum Caesarem mittunt, quamvis nonnulli sunt qui asserant Vassallum ad Dominum Legatos mittere non posse si de ipso Feudo agendum sit. Vid. Wicquefort. L'Ambassad. *Lib.* 1. *sect.* 2. De Real. *l. c. Cap.* 1. *sect.* 6. *n.* 3.

(1) *Ex natura & obiecto Legationum deducitur id iuris permittendum iis qui summum Imperium actu administrant, non enim de legitimo Imperandi iure quaeritur, cum Legati recipiuntur, sed disquiritur tantum an qui Legatos mittit reipsa publicam rem administret, & summo Imperio facto potius quam Iure potiatur: cum enim res inter eos qui summo iure Rempublicam administrant agantur, administrationis actus, & possessio potius quam Ius respicitur. Quapropter qui a* Cromwellio *Angliae Protectore, qui ab Ioanne IV.*

§. 3. *An Legati assidui admittendi.*

Quamvis tamen non reiiciendos Legatos Lex Naturae jubeat, si alterius erga alteram Gentem officia id exigant, nil obstat quin negotio confecto, ad quod gerendum constituti, illico dimittantur, atque adeo Legationes assiduae antiquis omnino ignotae (1) reiici optimo iure possunt. Non ta-

---

Lusitaniae Rege sunt missi fere ab omnibus tamquam Legati & Ministri publici & habiti & recepti sunt. Exinde fit ut in Regnis electivis defuncto Rege donec novus eligatur, in successoriis autem, Rege captivo, infante, amente, aut quacumque alia diuturna & constanti causa ne publicum Imperium exerceat impedito, ad eos Ius Legationis devolvatur, ad quos legitima Regni administratio defertur. Vid. Wicq. Amb. *Lib.* 1. *sect.* 3. *pag.* 34. Real. *l. c. Cap.* 1. *sect.* 6. *n.* 4. *& seqq.*

(1) *Quae de Legatis inveniuntur hac illac in Digestis & Codice fere omnia respiciunt eos, quos nunc vocamus Deputatos Urbium, nempe provinciales & municipales Legatos.* Wicquef. Ambass. *Lib.* 1. *sect.* 27. *pag.* 819. 831. *& seqq. Vid. L.* 2. §. 3. 4. 5. *ff. De Iudic. L.* 8. 9. 29 §. 1. *ff. eod. L.* 5. §. 1. *ff. De Pecun. constit. L.* 24. §. 2. *ff. De Iureiurand. Sunt qui Legatorum assiduorum*

men improbandas censeo, eo enim pacto & amicitiae vincula inter Populos non facile dissolvuntur, & si qua subnascatur querelarum aut dissensionis causa, omnia quam citissime ad pacem & concordiam componuntur.

§. 4. *Qui Legati mittendi.*

Legati decernuntur a Principe qui rei gerendae aptissimi omnium videntur, vel subditi, vel exteri (1) sint, vel infimo vel

---

morem referunt ad Ferdinandi *Aragoniae Regis Catholici tempora. Vid.* Frid. Marselaer. *Legatus. Lib. 2. Dissert.* 11. Thomas. *in Not. ad* Huber. *de Iure Civit. Lib.* 3. *sect.* 4. *Cap.* 2. §. 8 *Ceterum omnibus notissimum nullum fere fuisse antiquitus inter Gentes commercium. Non tantum Legati, sed & mercatores externi iubebantur extra Urbem subsistere, ne alieni Regni, ut ait L.* 4. *Cod. De Commerc. & Mercat. scrutentur arcana. Vid* Bynkersh. *De Foro Legat. Cap.* 1. *Helvetii & Turcae ad neminem Legatos assiduos mittunt.*

(1) *Quaesitum est an Legatus eligi possit qui subditus est Principis, ad quem mittitur, & eligi posse non ambigitur. Si Princeps Legati munere apud se subditum suum fungi patiatur, in id etiam tacite consensisse praesumitur, ut Legatus iisdem privilegiis gaudeat,*

ſublimi ſint loco nati; dignitate enim ceteros antecellere exiſtimandus qui a ſummo eligitur Imperante, ut publicae rei curam gerat. A quovis igitur Civium ordine eligi Legatus poteſt, dummodo electio ipſa ſuperbiam mittentis & arrogantiam non ar-

---

quibus frueretur ſi ſubditus eſſet mittentis Iure Naturae in iis omnibus, quae Legationem reſpiciunt, Iure vero conſuetudinario, iis privilegiis muniatur, quae ceteris conceduntur, & de quibus infra dicemus. Eiuſmodi Legationum ſunt & apud veteres, & noſtris etiam temporibus frequentiſſima exempla quae afferuntur a Wicquefort. Mém. touch. les Ambaſſad. *pag.* 45. Real. *l. c. Cap.* 1. *ſect.* 10. *n.* 6. *& ſeqq. Videnda quae in vulgus edita ſunt a* Pufendorfio *Sueciae Regis Miniſtro & a Caeſaris Miniſtris cum ipſo Caeſare iubente* Wilelmus *Furſtembergii Princeps eius vaſſallus & ſubditus, praeſumptuſque Electoris Coloniae Legatus, armata vi in Auſtriam deductus eſt.* Bynkersh. *l. c. Cap.* 11. §. 1. Wicquef. Mém. touch. les Ambaſſ. *pag.* 45. *Quin & captus in bello Legatus eſſe poteſt, ſi id velint Principes, inter quos res agitur.* Andreas Grittius *captivus in Gallia pactionem Pacis compoſuit inter Galliarum Regem, & Rempublicam Venetam.*

guat (1), pares enim diximus Imperantes, neque unum alteri in praeſtatione honoris praeferendum.

§. 5. *De charactere repraeſentativo.*

Faciem quodammodo, & auctoritatem eius a quo mittuntur afferre Legatos ex Legationis ipſius natura & obiecto eruitur, quippe qui Principis nomine & iure loquuntur, agunt, & commiſſum ſibi munus exercent; non tamen ſequitur Legatum referre mittentem quod ad eius maieſtatem, eminentiam, & dignitatem, haec enim Legato ſeu Mandatario, aut negotiorum geſtori neceſſario & ex mandati natura tribuenda eſſe non liquet. Quapropter character ille *repraeſentativus*, ut aiunt, quo Le-

---

(1) Ludovicus XI. *Galliarum Rex tonſorem ad Aurelianenſem Ducem Legatum miſit, qui tamen parum abfuit quin trucidaretur: obſcurum hominem miſiſſe aiunt* Galeatium Sfortiam *Mediolani Ducem ad Regem Galliae. Vid.* Henric. Cocc. *Diſſert. De Repraeſentat. Legat. qualit.* §. 5. *& ſeqq.* Wicquef. Mém. touch. les Ambaſſad. *pag.* 6. *&* Ambaſſad. *Lib.* 1. *ſect.* 7. *pag.* 73.

gatos inſignitos dictitant, ut pro mittentium Perſonis habeantur, non Iuri Naturae, ſed aut tacitis, aut expreſſis Gentium pactis acceptus referendus (1).

---

(1) Statuta inter Europae Principes praecedentia, & dignitatis praerogativa, facile erat & idem ius ad Legatos traducere ſi plures a diverſis Principibus, qui dignitatis ordine impares eſſent, miſſi in eumdem locum convenirent; ſed cum nec Principum ipſorum praecedentia et dignitas ubique et apud omnes incontroverſa, et extra dubium poſita ſit, fictione quadam, quae nullum tamen in Iure Gentium Naturali fundamentum habet, lites de praecedentia compoſitae ſunt. Convenit igitur tacito quodam conſenſu inter Europae Principes, ut charactere *illo* repraeſentativo *diſtinguerentur Legati tantum proprie dicti, vulgo* Imbaſciatori, *ceteri Miniſtri non item; atque adeo ſi qua ſit inter duos Principes de praecedentia controverſia, alter Legatum proprie dictum, alter vero inferioris ordinis Miniſtrum mittit, qui primo cedit ob gradus eminentiam, et praeſentem quaſi maieſtatem Principis, quam refert Legatus proprie dictus, non ob eius a quo mittitur inferioritatem. Huiuſmodi praeeminentiae et dignitatis affectationi accepti referendi Legatorum diverſi ordines, quos ſupra enumeravimus, quique extra Europam & in Europa etiam apud Turcas vix cogniti.*

Itaque Principem mandantem repraesentant Legati in iis omnibus, quae negotium gerendum respiciunt, in ceteris autem omnibus, si summum Ius spectes, ut peregrini habeantur in alieno territorio commorantes, atque adeo & ipsi, eorumque comites, & sarcinae, & supellex omnis loci iurisdictioni & Legibus, si tantum Ius Gentium Naturale respicias, subiiciuntur, quemadmodum alibi de peregrinis diximus, exceptis tamen iis actibus, qui directe ad negotii, cuius cura ipsis a Principe commissa est, referuntur; simulac enim Legationem admisit summus Imperans, omnia concessa intelliguntur, sine quibus munere suo fungi Legatus nequit.

§. 6. *De Privilegiis Legatorum.*

Privilegia igitur, quae nonnulli fortasse Principum ambitioni inservientes concessa. Iure Naturae dictitant, ut nempe Legati, eiusque comites quasi extra territorium constituantur ita ut Legibus & iurisdictioni Populi apud quem vivunt non tantum in iis quae immediate ad Legationem pertinent, sed in ceteris omnibus nullo pacto subiiciantur, ut a vectigalibus & portoriis

fint immunes, ut afylum ad aedes fuas confugientibus praebeant, ut in familiam fuam iurifdictionem habeant, & cetera huiusmodi nullum in Iure Naturae & Gentium fundamentum habent, & a conceffione eius (1) pendent apud quem agunt.

---

(1) Id adeo verum eft ut multi Europae Principes iure proprio & perpetua Lege conftituerint privilegia, quae Legatis affiduis concedere animus erat, ut litibus & querimoniis obviam irent, & uno eodemque tempore tum tranquillitati & fecuritati publicae confulerent, tum enormes Legatorum poftulationes certis limitibus circumfcriberent. Id factum eft in Hifpaniis a Carolo V. Cérémon. Diplomatiq. du Droit des Gens *pag.* 480. *& feqq.* Alberic. Gentil. *De Legation. Lib.* 3. *Cap.* 20. De Calieres. Manier. de negocier avec les Souver. *Cap.* 9. *pag.* 103. *&* 104. *Auct. qui fub nomine* Stephani Caffii *delitefcit. De Iur. & Iud. Legat. fect.* 1. §. 61. *In Belgio Foeder. Declarat.* 9. *Septembris* 1679. *In Anglia Imperante Regina* Anna *ann.* 1710. Cérémon. Diplom. *cit. pag.* 10. *In Suecia Conftit.* 16. *Octobr.* 1748. *In Lufitania Declarat.* 11. *Decembr.* 1748. *In Statu Pontificio fub* Urbano V. Iulio III. Gregorio XIII. Innocentio XI. *Vid.* Pfeffing. *in Not. ad* Vitriar. *Tit.* 17.

§. 7. *Eorum origo.*

Ad haec tamen licet a naturali aequitate, & rectitudine valde aberrantia Legatis concedenda non necessaria privilegia facile Iurisconsulti prolapsi sunt 1. quod falsa supposuerint iuris fictione Legati Domum extra territorium Principis ad quem mittitur positam esse, 2. quod arbitrati sint universale Ius Gentium a moribus populorum, & rerum gestarum exemplis deducendum esse, 3. denique quod apud Graecos Latinosque Scriptores de Legatorum sanctitate & inviolabilitate magnificas sententias legerint, & Ius Legationum non tantum hominum praesidio, sed etiam divino Iure vallatum. Sed quae duo primo loco supponuntur ea falsa omnino esse ex nostris principiis manifeste deducitur. Quod autem ad tertium attinet animadvertendum est haec tam magnifice dicta de sanctitate Legatorum ad eos Legatos pertinere qui ab hoste ad ho-

---

§. 77. *Litt.* A Cérém. Diplomat. *cit. vol.* 2. *pag.* 178. *& seqq. Lib. cui Tit.* Legatio Lavardini Romam. Recueil des Pieces concern. l'affaire de la franchise des quartiers.

ſtem in bello mittebantur (1), qui ſancti & inviolabiles dicuntur, quamvis ipſi hoſtes eſſent, contra quos omnia licita exiſtimabant veteres. Sancti igitur & inviolabiles merito dicebantur Legati, in eos enim nihil hoſtile licitum, qui hoſtem quodammodo exuerant, & in fidem conlati publicam ad caſtra vel urbem hoſtium, tamquam ad pacati & amici populi ſocietatem veniebant. Itaque in eo Legatorum ſanctitas praecipue verſabatur, ut ius belli in eos ſuſpenderetur omnino, & ab iniuria hominum defenſi & muniti ad ſuos tuto reverterentur (2).

---

(1) Huc enim referuntur L. ult. ff. De Legation. & L. 7. ff. ad L. Iul de vi publ. De Legatis hoſtium loquuntur ii omnes, qui eorum praedicant ſanctitatem, & quorum ſententias affatim congerunt qui ex profeſſo de Iure Legationum ſcripſerunt Gentilis, Marſelaer, Hotmannus, Varſevicius, Kirchnerus, Wicquefortius, Beſoldus, Cocceius, Pelzhoffer, *ut alios multos praeteream, quibus addendi &* Cuiacius *Obſerv. Lib.* 11. *Cap.* 5. *&* Grot. *l. c. Cap.* 18. §. 1. 6. *& in Not.*

(2) Idem dicendum de Fecialibus, Caduceatoribus, iiſque omnibus qui apud veteres vel denunciando bello, vel expediendis, du-

Sed hoc ius negativum, ut ſcholae aiunt, ad poſitiva & enormia iura traducere, quae nec a Legationum natura deducuntur, nec Legationibus obeundis ſunt neceſſaria, abſurdum eſt, atque adeo non ab Iure Naturali & Gentium derivandum.

Quod unum cum recta ratione conſiſtere poſſe videtur illud eſt, ut Legatus ſive aſſiduus, ſive extraordinarius iuriſdictioni Principis, ad quem miſſus eſt non ſubiiciatur, & ſi delinquat, quidve aliud agat quod ſecuritatem, & iura Populi, apud quem degit, laedat, Principi ſuo puniendus tradatur. Nam quamvis ſummo iure nemo eſſe poſſit in Civitate, qui publici

---

rante bello, negotiis ad hoſtem mittebantur, qui ea de cauſa inviolabiles habebantur; non multis autem ab hinc annis ob eamdem rationem ſancti habebantur qui Fecialium, et Caduceatorum munere et officio fungebantur, nempe gli Araldi e Regi d'Armi, *noſtris autem temporibus tibicines, et tympaniſtae (vulgo* Trombi *e* Tamburi) *dummodo inſignia officii praeſeferant, et publicas litteras a mittente habeant. Vid.* Real. Dr. des Gens *Cap.* 2. *ſect.* 7. *pag.* 486. *et ſeqq.*

Imperii Legibus non pareat (1), attamen ex Legationis natura illud ſequi ſponte diximus, ut Legatus ſanctus & inviolabilis ſit in iis omnibus, quae ad Legationem pertinent. Itaque & facta & dicta omnia, quae neceſſaria videntur Legato ad munus ſibi demandatum explendum impunita eſſe debent tum ex Legationis natura, tum quod per pactum in id conſenſiſſe cenſetur Gentis Rector ſtatim ac Legationem admiſit: quis autem & factis & dictis, quae ad Legationem rationem habere poſſunt, fines praeſcribet? Admiſſa igitur Legatione & ipſa impunitas in omnibus Legato concedenda fere neceſſario videtur.

Huc accedit quod ſi iuriſdictioni Principis ſubiiceretur in iis, quae ad Legationem referri non poſſe videntur, & inquiſitioni & poenae, ut ceteri omnes commorantes in territorio, obnoxius fieret, Legatio ipſa non libera, non tutus a vi & fraude eſſe poſſet Le-

---

(1) Vid. Bynk. *De For. Legat. Cap* 3. §. 3. Cocc. *Diſſert. De Legat. Sanct. non impun.* Richard. Touch. *De Iure Fec. inter Gent. P.* 2. *ſect.* 2. *quaeſt.* 6.

Legatus, quod quidem Legationes rariores, difficilioresque redderet. Quapropter cum Legationes & utiles & necessariae sint inter Gentes, quae vix obtineri possent nisi impunitas Legatis concederetur, aequum est ut non tantum in iis, quae Legationem immediate respiciunt, sed in ceteris omnibus Legatus in genere imperio & iurisdictioni territoriali subtrahatur, tradaturque delinquens Principi suo puniendus; privata enim iniuria communi humani generis bono rependitur, nec publicae securitatis interest per quem delinquens poenas criminis luat: in genere autem diximus, nam in specie si necessitas urgeat, & salus publica Legati culpa periclitetur, quaevis honesta & iusta est expediendae salutis via (1).

Si unam hanc excipias personalem inviolabilitatem quibusdam etiam finibus circumscriptam, cetera omnia privilegia Legatorum ita a concessione Principum pendent,

(1) *Vid.* Bynkersh. *De For. Legat. Cap.* 3, §. 18. & *Cap.* 19. §. 1. Grot. *Lib.* 2. *Cap.* 18. *n.* 6.

atque adeo ita incerta ſunt, ut nullo pacto certa fieri ratione poſſint, atque ad mobile & conventionale Ius Gentium ſint omnino referenda.

Sicubi tamen privilegiis nonnullis fruantur Legati, videndum an pacto publico in eos collata ſint, an vero quarumdam tantum Gentium moribus & conſuetudine introducta. Si primum fides inter paciſcentes ſervanda, ſi alterum ea tamdiu valent, quamdiu Gentes, quae in idem tacite conſenſiſſe videntur, voluerint (1).

§. 8. *De Literis Credentialibus.*

Cum Legatus tamquam Principis procurator haberi poſſit ad unum vel plura negotia publica conſtitutus, atque adeo iura eius omnia a Mandantis voluntate pendeant, non prius Legati iure & privilegiis utitur, quam mandatum exhibeat, quo ſe Legatum a Principe oſtendat. Mandatum huiuſmodi quibuſdam ut plurimum Litteris continetur, quas Legatus ei, ad quem mit-

(2) *Vid.* Sam. Cocc. *ad* Grot. *Lib.* 2. *Cap.* 18. §. *ult. quaeſt.* 6.

titur, exhibet, & quae *Credentiales* dicuntur, eo quod constituens Princeps in iis testatur se velle ut Legato suo credatur, fidesque habeatur tamquam ipsi sibi, promittitque se rata habiturum ea omnia, quae Legatus mittentis nomine contracturus sit (1).

---

(1) *At si praeter manifestum mandatum, seu Litteras* Credentiales *aliud arcanum Legatus mandatum habeat* (Instructionem *vocant*), *quo eius facultates intra certos fines concludantur, quaesitum est an Principem mittentem obliget si facultates excedat, & omnium sententia fuit promissa Legati Principem tenere, qui promisit se ratum habiturum quidquid Legatus gesserit.* Ferdinandus *Aragoniae Rex, qui Archiducem Austriae miserat cum facultate pacem pangendi eam ratam habuit, quamvis privatim et arcano mandato vetuisset ne pax componeretur. Quapropter moribus et consuetudine paulatim inter Europae Gentes invaluit, ut quae gesta sunt a Ministris non prius valeant, quam relata ad Principem ab eo probentur, de qua re diximus supra cum de sponsionibus minorum Potestatum agebamus. Vid.* Marian. *Hist. Hispan. Lib.* 27. *Cap.* 18. Grot. *Lib.* 2. *Cap.* 11. §. 12. 13. *et Cap.* 18. §. *ult. et ibi* Henr. Cocc. *quaest.* 3. *Plenae quas vocant Potestates* (Plenipotenze) *vix differunt a*

§. 9. *Quando poteſtas Legati expirat.*

Ius autem & poteſtas Legati expirat revocatione vel morte mandantis, itemque morte eius, ad quem miſſus erat Legatus, incertum enim eſt an cum ſucceſſore mandans agere velit de eadem re, ad quam procurandam Legatum conſtituerat.

Litteris Credentialibus, et aequiparari poſſunt mandato cum libera expediendi negotia facultate, promiſſoque interpoſito ratum habendi quidquid Miniſter geſſerit.

F I N I S.

INDEX CAPITUM ET PARAGRAPHORUM, QUI IN HOC VOLUMINE CONTINENTUR.



CAPUT XIII. *De Iure Gentium in Bello.*

CAPUT XIV. *De Pactione Pacis.*

CAPUT ULTIMUM. *De Legationum Iure.*

INDEX GENERALIS

Rerum praecipuarum & Verborum quae in toto Opere continentur.

Prior Numerus maior *Tomum*, minor *paginam*, n. *notas* indicat.

A

B

C

D

E

F

G

Gera-

H

I

L

M

O

P

Q

R

S

T

V

F I N I S.





